
THE LIBRARY OF CONGRESS


THE LIBRARY OF CONGRESS

VERGILII AENEIS QUIBUS IN REBUS IUDICANDA SIT SECUTA ESSE EXEMPLA VETERUM POETARUM LATINORUM ENNII LUCRETII ALIORUM?

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM SCRIPSIT
ET
PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
OBTINENDIS
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
ORDINI
IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI
PROPOSUIT

PAULUS H. L. KRUEGER
BEROLINENSIS.

IENAE, 1874.
TYPIS RATII.

Vergilium in Aeneida multa ex veterum poetarum carminibus petita transtulisse, jam pridem indicaverunt viri docti; neque qua re hoc fecerit summus vates, fugiet eum, qui cum Romanorum atque Vergilii ingenium tum poetarum latinorum ab Andronico inde usque ad Augusti aetatem rationes atque indolem diligenter perpenderit.

Etenim id fuit Romanorum ingenium, ut tam in artibus, quam in republica, quaecumque a majoribus bene viderent esse instituta, insigni pietate conservarent; quod haut obscure expressit Ennius, cum moribus virisque antiquis stare rem Romanam affirmaret.

Neque mehercule fieri potuit, ut descisceret Vergilius ab hoc popularium more, vir summae cum diligentiae, tum doctrinae laude clarus, praesertim cum Aeneide ipsas virtutes illas vere Romanas, fortitudinem dico et pietatem celebrare cuperet.

Tum vero, quanto in honore fuerit Naevii Ennii Lucilii memoria apud Vergilii aequales, diserte testantur Lucretius et Cicero, quorum alter in ipso operis initio summa cum reverentia Ennium laudat, alter veterum poetarum versibus saepe utitur pro ornamentis; Maro ipso igitur quid senserit, non est quod dubitemus. Atque antiquiorum rationes metricae, quo jure vulgo putentur longe abfuisse ab Augusteae aetatis placitis, infra diligentius exponemus: Vergilius, cum Romanorum res gestas virtutesque praedicandas sibi proposuisset, non potuit non meminisse eorum, qui ante ipsum florente rebublica in eodem genere litterarum elaboraverant. Quare omnium maxime quem

sequeretur elegit Ennium; nonnulla ex scaenicorum libris, multo plura ex Lucretii Lucilii Catulli Ciceronis Varronis Atacini Naevii aliorum carminibus desumpsit.

Iam vero ad rem ipsam per singula capita illustrandam ut transeamus, optime procedet opus, si ita instituemus disputationem, ut primum res etymologicas quae dicuntur, deinde syntacticas, tum metricas explicemus, quibus subjiciendae erunt variae quaedam observationes.

Atque in etymologia, quae enotarem inveni haec fere.

Genetivum declinationis primae in ai exeuntem nunquam in Georgicis Bucolicisque, in Aeneide quater Maro usurpavit III, 354 Aulai medio libabant pocula Bacchi; VI, 747 Aetherium sensum atque aurai simplicis ignem; VII 464 sq. furit intus aquai fumidus amnis; IX 26 Dives ecum dives pictai vestis et auri. Eadem forma usus est Ennius Annalium v. 14 Lunai portum est operae cognoscere cives, 34 Albai longai, 122 suavis sonus Egeriai, et saepius; Cicero Iliadis fragmento I. 10 fons aquai, in Arateis XIV, 15 oculos pectusque Nepai; XXXII, 179 nomine Aquai, Lucretius II, 167 materiai IV 713 fugai VI 825 vitae multasque tales formas, alii alia. Tum notandus est ablativus contractus, qui prostat Aen. V. 259 Puniceis ibant evincti tempora taenis, admissus haut dubie secundum Ennium Ann. v. 167 nonis Iunis soli luna obstitit et nox.

In secunda declinatione laudandus est genetivus breviatus in um, quo saepe utitur Vergilius; nam extra deum divum, quae vulgari usu sunt trita, habet haecce. I. 4 vi superum VI 780; VII 189 Picus equum domitor, 651, 691. IX, 26, 523, X 128, 550; V 174 Oblitus decorisque sui sociumque salutis IX 558, X 410; XI 304 Circum omnis famulumque manus Trojanaque turba; III 221 Caprigenumque pecus; ib. 704 magnanimum generator equorum; quibus addenda sant primae declinationis

III 21 caelicolum regi, VIII 698 Omnigenumque deum monstra; praeterea formae a nominibus propriis primae et secundae derivatae hae: Teucrum vicies, Aeneadum quater, Dardanitum ter, Grajugenum semel, Grajum sexies, Argivom bis, totiens Achivom, Danaum vicies quater, semel Pelasgum, Tyrrhenum Lapithum Teleboum Massylum. At Ennius habet deum ter, septies divum, semel virum, dium Ann. 18. caelicolum 483, verbum paucum 252, exitium Tr. 88, meum factum 81, socium 165, somnium 64; Grajum ann. 149, Argivum Tr. 23; Lucilius cadum medimnum ducentum, Catullus 64, 355 Trojugenum, Varro papiap. 3 invidum.

Iam tertiae declinationis nominativum veterem, qui excurrit in os, non usurpavit noster extra vocabula arbos, quod ter, et honos, quod decies quater adhibuit, sed ita, ut altera forma in Aeneide non uteretur; eandem autem formam ab Ennio Lucilio Lucretio saepius admissam esse satis constat. Tum vero genetivi pluralis formam in ium exeuntem vitandae synizesis causa aspernatus breviorem admisit Ennius hisce exemplis: Ann. 192 Balantum pecudes quatit, 413 Navorum imperium servare est induperantum, Epigr. 9 caelestum plagas, quod imitati sunt cum Lucilius Lucretius Catullus, tum Vergilius, cujus sunt Aen. I 87 stridorque rudentum, V 148 studiisque faventum, VII 432 Caelestum vis magna jubet, VII 16 vincla recusantum et sera sub nocte rudentum, X 674 gemitumque cadentum accipio, XI 838 juvenum in clamore furentum, XI 633 gemitus morientum, ib. 614 perfractaque quadrupedantum pectora, XII 519 nec nota potentum limina XI 886 defendentum armis aditus inque arma ruentum, VI 200 oculi sequentum, IX 394 signa sequentum, VI 432 silentum concilium, I 434 onera venientum, VI 755 voltus venientum; tales formas in georgicis nonnisi quattuor, nullas omnino in eclogis inveni. Alituum autem, quod est VIII 27, primus effinxit Lucretius.

Quartae declinationis genetivum terminari antiquis in uis, dativum in u, testatur Gellius; quare habemus apud Lucilium

pecu inc. sed. 31, 2. D., gradu 69, anu 135, victu IV, 2; et apud nostrum in primo Aeneidos 257 parce metu Cytherea, III 292 portuque subimus Chaonio, VII 747 adsuetaque multo venatu nemorum, VI 465 teque adspectu ne subtrahe nostro; qui etiam in eo Lucilium secutus est, quod bis genetivum pluralis contraxit VI 653 quae gratia currum armorumque fuit, VII 490 ille manum patiens, et quod die posuit pro diei I 696, ubi alii legunt dii; Lucilii enim sunt inc. s. 137 D. facie quod honestas accedit, cf. VII 3, 1; adversae fortunae reque VI, 11; rugosum atque fami plenum XV, 16.

Verum inter pronomina veterem formam nominativi pluralis haec pro hae usurpatam esse cum a Catullo 64, 320, tum a nostro VII 175, quod affirmat Lucianus Muellerus, dissentientibus et Hauptii et Ribeckii editionibus nihil novandum videtur.

Pronominis autem quod est ille, formas antiquiores olli et ollis Wagnerus observavit non usurpari a Vergilio extra Aeneida nec nisi in oratione gravi et sedata, numquam in orationibus, qua in re, quantum quidem nos colligere possumus, plane convenit ei cum Ennio, qui et ipse has formas in solis Annalibus et in sedato gravique narrationis genere adhibuerit, numquam in orationibus aut in ceteris carminibus.

Graeca vocabula cum antiquissimi per metaplasmum Latino ori accomodassent, ab Attio et Lucilio inde graecanicae formae saepius occurrunt. Ac Vergilius quidem nonnulla per metaplasmum immutata usurpavit veluti Aen. VII 604 Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum Hyrcanisve Arabisve parant, imitatus Lucilii III 21 Aethiopus, XXIV, 4 Arabus artemo; eademque ratione sunt explicandi genetivi, quales sunt Aen. I 30 Achilli, ib. 120 Achati, 220 Oronti, II 7 Ulixi, 392 Androgei, 425 Penelei; multo saepius autem recentiorum placita sua auctoritate confirmavit; etenim recepit innumeris exemplis accusativos graecos, qui exeunt in an, en, on, a, ea, et formas plurativas in es et as breves, veluti Aenean Gyan Buten Andromachen Naxon Paron Pallanta Hectora Anthea Rhoetea Crethea Chlorea Dareta

Troes Troas Arcades Arcadas Amazonas Phryges Thraces Cyclopes, quibus addenda sunt talia, qualia Capyn, Dido Allecto accusativi, Androgeo genetivus, Thymbre, Aeacida, Panthu vocativi et formae Homericae Idomenea Ilionea producta paenultima. Quibus similia inveniuntur apud Ennium Aeacida producta ultima, sicut Anchisa Anchisiada, tum, ut praetermittam exempla nimis nota, apud Attium adytus, Lucilium atomus, Varronem syrus, graeca diphthongo (quo in genere noster habet Panthu et Mantus) denique apud Lucretium pelage, apud nostrum cete, ab illis quae sunt pelagos et cetos.

Neque etiam a veterum imitatione abesse judicabimus ast particulam non solum ante vocales, verum etiam ante consonam X 743 admissam; ceterum Vergilius non in formulis usitatis magis, quae sunt ast ego, ast ubi, ast illi, et ante nomina propria in initio versus, quam ante alia vocabula, veluti ast alios, ast arma, ast de me, et medio in versu hac particula usus est.

Porro in verborum flexione praeter formas vulgares etiam antiquiores Aeneis exhibet, quam rem metricis rationibus temperari per se patet, quamquam nonnulla etiam antiquitatis studio posita esse non negabimus. Ac primum quidem formas breviores, quales sunt conticuere, rere, valde placuisse poetis dactylicis non est, quod miremur; etenim exitu trochaico commendabantur eo, qui maxime pervius esset elisioni; quare cum Ennius Lucretius Catullus, tum Vergilius multo plura brevioris formae exempla praebent quam plenae; quod contra antiquiore forma usi sunt cum veteres tum Vergilius, cum dixere laudarier, jactarier irascier, irrigarier, accingier, farier; quam non aspernatus est prudentissimus quisque dactylicorum propter mensuram quinto hexametri pedi imprimis accommodatam. Tum vero perfecta activi, quae excurrunt in vi vocali subjectum, cum contraxisset praeter solitum morem Ennius haec: nomus Trag. 138 adjuero Ann. 339 et, si verum est. manat in sexto decimo ejusdem operis, Attius fab. praet. 15 devoro, Lucretius ante vocales inritat I 71, superat V 396, disturbat VI 587, Catullus 66, 18 juerint, Ver-

gilius a solito more recessit V 57 Adsumus et portus delati intramus amicos; qua in re convenit ei cum Plauto et Terentio, qui scripserunt concessamus et ennarramus; idem Lucretio obsecutus est, quod contracta probavit haec: petit Aen. IX 9, it ib. 418 exit II 497, transit V 274, X 785, 817. Praeterea protulit syncopata accestis I 201, extinxem IV 606, extinxti ib. 682, direxti VI 59, faxo IX 154, XII 316, vixet XI 118, jusso ib. 467, compostus I 249, exposta X 694, imposta IX 716, supposta VI 24, quinquies repostus, cum tamen multo saepius hac libertate usi essent veteres ac praeter ceteros cum Ennio Lucilius. Eorundum placita comprobavit Vergilius, cum fervendi fulgendi lavandi stridendi potiundi verba tertiae conjugationi addixit. Illius autem edice, quod est Aen. XI 463 simillima sunt, quae extant apud Lucilium et Catullum exempla imperativi face XXVIII, 28; 36, 16. Iam in quarta ibam et ibar juxta solitas formas poni numquam desiere, itaque habet Ennius Ann. 44 scibas cf. Trag. 365; Com. 7. Trag. 374 audibo, Catullus in epyllio custodibant, Vergilius IV 528 lenibant, VI 468 lenibat, XI 572 nutribat, VII 485 nutribant, VIII 436 polibant, ib. 160 vestibat. Verbi anomali, quod est edere, formae est et edit scriptae inveniuntur apud nostrum altera Aen. IV 66, V 683, altera XII 801, ubi tamen Mediceus codex et corrector Palatini vulgarem formam edat praebent. Contractas autem hujus verbi formas cum testetur Muellerus convenire orationi aut humili aut antiquae, non possumus dubitare, quin hic quoque sicuti in admittenda forma antiqua fuat, quam dedit Ribeckius II 75, X 108, antiquae artis memoriam revocasse Maronem statuamus, quippe qui etiam retinuerit haut florentia aequalium usu haecce: gnatis XI 532 gnato ib. 525, temnere I 542, 665, VI 620, VII 236, X 737; quocirca I 673 quandoquidem V 547, X 105, XI 587, quianam V 13, X 6.

Restat ut addamus pauca de compositis poeticis, quae aut ab antiquioribus petita aut secundum horum rationem efficta ad augendum Aeneidos splendorem Maro usurpavit.

Et primum quidem huc pertinent ea, quae in fine referunt gignendi verbum, quo in genere extant in primo Marcii vatis carmine Trojugena, alienigenae, apud Pacuvium Plautum Attium caprigenum, apud Lucretium I 465 Trojugenas ib. 477 Grajugenarum, ib. 874 alienigenis praeterea caecigenus primigenus vitigenus terrigenus multigenus, in Ciceronis prognost. fr. 6 caprigenum, apud Catullum in Pelei epithalamio unigenam Nysigenis Trojugenum, apud nostrum Trojugena Aen. VIII 117, III 359, Grajugena III 350, VIII 127, caprigenum III 221, omnigenum VIII 698, nubigenae VII 674 VIII 293; Phoebigena VII 773; tum a sonandi verbo derivata haec: horrisonus et clarisonus Ciceronis Arat. fr. 32, 13, ib 280, id. in Cons. altisonus; apud Catullum in epyllio clarisonus raucisonus fluentisonus, apud Lucretium raucisonus horrisonus apud Vergilium horrisonus VI 573 IX 55, armisonus III 544. A faciendo autem effinxerunt Ennius regificus laetificus, augifico, Attius laetificus, Lucilius contemnificus, delenificus, monstrificabilis, Cicero horrificus tristificus, Lucretius terrificus terrifico horrificus, largificus auctificus tabificus laetificus ludifico, Catullu shorrifico, Maro regificus VII 705, luctificus ib. 324, horrificus III 225 praeterea tribus exemplis, horrifico IV 465, vulnificus VIII 446, terrificus V 524 VIII 431 XII 104, terrifico IV 210. A ferendo autem et gerendo quae descendunt habet Ennius laniger opifer mortifer frugifer flammifer, Attius armiger laniger, Cicero auriger umbrifer mortifer auctifer corniger, Lucretius saetiger laniger barbiger naviger moriger spumiger squamiger corniger pinniger horrifer florifer Lucifer ignifer aestifer glandifer falcifer signifer mortifer rorifer frugifer frondifer, Catulli epyllion letifer noctifer, Aeneis vero armiger II 477 praeterea quinquies, aliger I 693, XII 249, corniger VIII 77, laniger III 642, 660 VII 93 VIII 664, saetiger VII 17 XI 198 XII 170, turriger VII 631 X 253, caelifer VI 796, fatifer IX 631, letifer III 139 IX 631, X 169 mortifer VI 279, umbrifer VI 474, soporifer IV 486, Lucifer II 801 VIII 589, praeterea olivifer fumifer malifer pinifer legifer odorifer sagittifer somnifer pacifer pe-

stifer pinnifer. Porro habet Livius Andronicus velivolus, idem Ennius, qui etiam doctiloquus versutiloquus caelicola imbricitor, Attius vitisator, Lucilius caelicola terricola lucifugus pullipremo, Catullus in epyllio veridicus caelicola, Lucretius terriloquus silvifragus fluctifragus suavidicus causidicus veridicus largifluus frugiparus perterricrepus turicremus velivolus caelicola montivagus noctivagus volgivagus, Aeneis velivolus silvicola caelicola turicremus fatidicus noctivagus navifragus vitisator. Frequens deinde est apud antiquos numerus vocum compositarum, quae participii praesentis formam referunt; itaque scripsit Varro altitonans stellicomans, Pacuvius altitonans, Naevius altisonans, Ennius quadrupedans altivolans velivolans omnipotens bellipotens sapientipotens, suaviloquens signitenens, bipatens, Plautus caelipotens, Lucilius cortinipotens, Lucretius aedituens omnituens omnipotens armipotens altivolans altitonans pennipotens omniparens, suaviloquens, Cicero omnipotens altitonans, Catullus omnipotens, nec non Vergilius omnipotens multis exemplis, armipotens quinquies, Ignipotens sexies, bellipotens XI 18, omniparens VI 595, quadrupedans XI 614, bipatens II 330, X, 6 quibus addendum est Apollinis et Dianae epitheton Arquitenens III 75, quo ante ipsum usi sunt Naevius Hostius Attius.

Cum pede compositum protulit Ennius quadrupes, Lucilius sonipes agipes, Lucretius alipes capripes, Catullus cornipes, Vergilius denique aeripes VI 802, alipes VII 277, XII 484, cornipes VI 591 VII 779, sonipes IV 135 XI 600 638, quadrupes III 542 VII 500 XI 714, 875.

Deinde legitur apud Lucilium grandaevus, Catullum primaevus, apud nostrum Aen. I 121 grandaevus II 561, V 452 aequaevus, longaevus decies quater, duodecies magnanimus, quod a Lucretio mutuatus est, qui habet etiam anguimanus levisomnus. lauricomus, neque veterum placita ei fuisse probata negabimus, cum scriberet VI 141 auricomus X 181 versicolor et quae sunt derivata ab illo semi et ab adverbiis numeralibus, semifer semihomo seminex semivivus semiustus semesus, bilinguis bi-

patens biremis bifrons biforis biformis bidens bilix bijugus bijugis bimembris tricorpora tridens trifaux trilix trisulcus trivius Trivia quadrijugus quadrifidus quadrupes, cum dederit nocticolor Laevius, Ennius bipatens, non alienum illud quidem a Plauti Luciliique carminibus, idem trifax quadrupes semianimus, Lucretius semimarinus semiferus bijugus tripectora triquetrus Trivia, Cicero semiferus semihians semilautus semimortuus semirasus bigae Trivia Catullus.

Sed novavit Maro patronymicum Romulides VIII 638 secundum Ennianum illud Scipiadas, quo et ipse est usus cum Lucilio et Lucretio Aen. VI 844, retinuit etiam Aeneadas et ipsum a Lucretis petitum.

In rebus etymologicis igitur non pauca Vergilium ab aequalium usu aliena ex veterum carminibus esse mutuatum, exemplis supra allatis demonstrasse mihi videor; etenim invenimus primae declinationis genetivos alterum in ai excurrentem, alterum contractum in um, dativum pluralis contractum in is; secundae declinationis genetivum in um, tertiae genetivum in um pro ium excurrentem, quintae genetivum et dativum in e vel i contractum; tum graeca vocabula aut per metaplasmum commutata aut sine ulta mutatione admissa, veterem pronominis ille formam, particulam ast saepe adhibitam; denique infinitivos in ier permultos, perfecta et supina partim contracta partim syncopata, composita poetica plurima; quae omnia in Aeneidem secundum priorum poetarum usum esse translata affirmamus.

Iam vero, priusquam ad syntaxis rationes enucleandas transeamus, pauca totius quaestionis quasi fundamenta explice

mus necesse est. Ennii igitur temporibus cum eaedem fere quae postea syntaxis leges valerent, non parva tamen poetis non solum scaenicis sed etiam ceteris libertas est concessa; quod factum esse non negabit, qui Lucilius, quem et doctum et perurbanuum fuisse ait Cicero, quantum sibi sumpserit licentiae recordatus erit. Attamen quo magis litterarum studium apud Romanos invaluit, eo diligentius ne leges illas desererent auctores caverunt. Quare antiquae libertatis exempla imitari omnia non licuit Maroni, praesertim cum legum severitatem summa cum diligentia, qui ante eum scripsere, servassent Caesar et Cicero diis hominibusque approbantibus. A quorum placitis quia non ita multum differunt Lucretii Catullique rationes, his quam antiquioribus obtemperare maluisse Vergilium non mirabimur.

Verum enim vero poetae ut quodammodo a prosae orationis modulis recederent, ipsa carminis natura effectum est; nam quo magis a vulgari sermone alienum est totum dicendi genus apud poetas, eo majorem particularum ac praepositionum nimis tenium recidendarum libertatem postulari consentaneum est. Omnium autem cum maxime abhorreat a vulgi usu carmen heroicum, quippe quod graves et crudas res sibi proponat describendas, fiere non potuit, quin rei versibus illustrandae se accomodarent non solum verborum electio verum etiam constructiones. Vergilium igitur nonnullas priorum libertates retinuisse, alias aut intendisse aut etiam novasse, his quae modo exposuimus consideratis, non est quod mireris; qui quanto in odio habuerit particularum nimis tenuium ambages, vel ex eo colligi potest, quod nonnumquam pleniorem formam exulantem a prosa oratione ab antiquioribus desumpsit, veluti ast quianam Ennio usitatas, saepe has voculas in caesura posuit, ut numero fultae majorem vim acciperent, multis denique exemplis easdem cum verbis antecedentibus per synizesin vel elisionem copulavit, ut omittam, quae eidem consilio inserviunt, epanalepsis similiumque artificia.

Quae cum ita sint, hoc exemplis appositis comprobabimus,

Vergilium in rebus syntacticis consentire cum prioribus poetis non solum ubi servaverit prosae orationis modulos, sed multo magis etiam ubi licentias admiserit. Quod autem haec disputatio imprimis in casuum doctrina perlustranda versabitur, duae res in causa fuerunt; primum enim longe maximam licentiarum partem hac in doctrina occurrere mihi videor repperisse, tum vero, quae ad verbi atque enuntiatorum syntaxin pertinent, separatim alio loco pertractanda relinquere placuit.

In eligendis autem exemplis hanc normam sum secutus, ut imprimis ea recipienda esse putarem, quae a prosa oratione viderentur differre, neque tamen rejicienda ea, quae etsi non aliena a vulgari ratione commendarentur tamen eo, quod in vocabulorum compositione consentirent cum antiquioribus.

Abstracta igitur substantiva quod haut paucis in Aeneide exemplis posita inveniuntur pro concretis, habuisse Maronem, quos hac in re sequeretur, asserere non dubitabimus. Etenim dixere metaphorice Ennius in Alexandri v. 57 o lux Trojae germane Hector, Cicero Od. fr. I, 1 o decus Argolicum, Lucretius I 1, Aeneadum genetrix hominum divumque voluptas, III 1034 Scipiadas belli fulmen Carthaginis horror, VI 94 Calliope requies hominum divumque voluptas, Catullus in epyllio 26 Thessaliae columen Peleu, 27 ipse suos divum genitor concessit amores, 78 decus innuptarum. Ac Vergilius Aen. I 635 sq. agnos munera laetitiamque die, 664 nate meae vires mea magna potentia solus, 678 puer mea maxima cura, II 281 o lux Dardaniae spes o fidissima Teucrum, III 13 terra Mavortia hospitium antiquum Trojae sociique penates, 709 genitorem omnis curae casusque levamen, VI 842 sq. duo fulmina belli Scipiadas cladem Libyae, IX 481 sq. tune ille senectae sera meae requies, XI 508 o decus, Italiae, XII 142 Nympha decus fluviorum, 166 Aeneas Romanae stirpis origo, 168 Ascanius magnae spes altera Romae, V 339 nunc tertia palma Diores. Idem cupide arripuit abstracta cum concretis conjuncta ad analogiam Homerici illius ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο, quod primus imitatus est Ennius, qui habet Ann v.

122 suavis sonus Egeriai, 279 iniqua superbia Poeni, 280 Vestina virum vis; secuti sunt Lucretius III 8, 764 fortis equi vis, 296 vis violenta leonum, 1222 fida canum vis, 548 plaustri non magno pondere, V 24 sq. Nemeaeus magnus hiatus leonis, 28 tripectora ter gemini vis Gergonai; Cicero fragm. 32 Arat. v. 57 haec equi vis, 321 vis torva Leonis, 324 vis magna Nepai; Catullus epyll. 4 Argivae robora pubis; nec non Maro exemplis talibus: Aen. II 235 sq. rotarum lapsus, IV 132 odora canum vis, X 485 loricaeque moras perforat, XI 680 sq. ingens oris hiatus et malae texere lupi, XI 376, XII 45 violentia Turni, XII 110 metum Iuli.

Pluralis autem numerus pro singulari positus permultis prostat exemplis; ac primum quidem ita usurpantur abstracta, quare scripsit Ennius Ann. 464 irarumque effunde quadrigas, 504 vincla suis magnis animis abrupit, Cicero Iliados fr. III 1, corque meum penitus turgescit tristibus iris; Lucretius I 36 visus, 105 rationes, 128 meatus, II 48 metus, 49 sonitus, III 142 laetitiae; Catullus epyll. 27, 372, amores, 34, 95 gaudia, 94 furores, 99 timores; nec non Vergilius Aen. I 25, 130 II 381, 572, 594, XII 5, 499 I 56 irae; I 722 animos desuetaque corda, I 41 furias Ajacis Oili, 671 Iunonia hospitia, II 9 somnos, 96 odia, 140 effugia, 271 fletus, 642 una excidia, 118 reditus, III 713 luctus; sed concreta in plurali posita, quae ad unam personam referenda sunt, habes talia: Catullus epyll. 30 luces, 43 sedes, 20 hymenaeos; Lucretius I 152, 721, VI 713 terrae, VI 14 corda; Vergilius Aen. I 722 corda, II 22 regna, 57 terga, 381, XI 692 colla, quibus possum addere multa alia.

Frequentissimus vero in Aeneide est ablativus principii, qui usurpatur ad significandum locum, unde motus aliqui exoriatur; hunc et ipsi spreta praepositione adhibuerunt cum Ennio Lucilioque Cicero Lucretius Catullus. Et dixit Ennius Ann. v. 36 exterrita somno, 153 filo pendebit; Lucilius XIX 7, D. latere pendens, Catullus ep. 225 infecta vago suspendam lintea malo, Vergilius Aen. I 318 umeris habilem suspenderat arcum; Ennius Ann.

588 funduntque elatis naribus lucem, Lucilius XXX 77 Sed quid ego haec animo trepidanti dicta profundo, Cicero Cons. II 28 sq. furenti pectore fundebant, Lucretius III 1033 animam moribundo corpore fudit, Vergilius XII 122 plenis se fundunt portis, 154 lacrimas oculis profudit; Lucilius inc. I 111 efflantque enatis naribus lucem, 190 ore salem expiravit amarum, III 39 exhalat placidos tum demum pectore ructus; Lucretius V 29 spirantes naribus ignem, IV 391 sq. flammas ut fulguris halent pectore perfixo, Vergilius Aen. XII 115 lucemque elatis naribus efflant, I 403 divinum vertice odorem spiravere, ib. 44 expirantem transfixo pectore flammas; Ennius Ann. 310 navibus explebant sese, Cicero Progn. IV 6 jacit ore loquellas, Lucilius I 9 qui legibus solvat, Lucretius II 46 curaque solutum, IV 7 religionum animum nodis exsolvere pergo, Aen. II 26 longo solvit se Teucria luctu, XI 828 sq. toto exsolvit se corpore; Lucretius V 458 terrae partibus erumpens, Aen. X 377 rumpitque has imo pectore voces, XI 548 sq. tantus se nubibus imber ruperat; Lucilius inc. sed. 37 sargus Aegypto, 38 et pedibus Sicyonia demit honesta, 40 alto exsiluere petauro, 187 Priverno Ufentina venit fluvioque Ufente, XXVI 62 deripuit signo Cassandram, XXIX 61 detrusus tota vi dejectusque Italia; Catullus ep. 5 auratam optantes Colchis avertere pellem, Lucretius IV 1273 locis avertit seminis ictum, V 639 aestivis detrudere signis, 674 malis demittere barbam, II 159 uberibus manat distentis, III 563 avolsus radicibus, III 48 extorres patria, Vergilius IV 616 finibus extorris, Catullus 62, 61 complexu avellere matris, Cicero Arat. fr. 32, 37 emergens alto; Aen. I 38 Italia Teucrorum avertere regem, II 558 avolsumque humeris caput, I 127 summa placidum caput extulit unda, 145 detrudunt naves scopulo, IV 268 claro demitit Olympo, VI 259 totoque absistite luco, III 175 gelidus toto manabat corpore sudor, IX 812 sq. toto copore sudor liquitur, II 713 urbe egressis, X 766 referens montibus, IV 152 dejectae vertice, 153 decurrere jugis, V 349 palmam movet ordine nemo.

Ablativus locativus a poetis non solum usurpatur in nomi-

nibus urbium et insularum, sed etiam in aliis substantivis. Ac primum quidem tali modo posuit Lucretius VI 1116 Atthide, III 628, 984, 978 Acherunte; quem imitatus noster I 263 bellum ingens geret Italia, XII 24 Latio et Laurentibus arvis 344 Lycia; tum vero Ennius Ann. 146 nautisque mari quaesentibus vitam; 288 densantur campis horrentia tela virorum, 359 quae neque Dardaniis campis potuere perire, 165 itnigrum campis agment 142 quam crudeli condebat membra sepulcro. Lucilius sat. IV, 14, 1 Tisiphone residet pulmonibus, V 4 si tam corpus loco validum ac regione maneret, XII, 2 pariterque tuo sit pectore fixum, XX 1 credant signis cor inesse ut abenis; Catullus epyll. 231 condita corde, 316 aridulis haerebant morsa labellis, 97 qualibus jactastis puellam fluctibus, 62, 20 qui caelo fertur crudelior ignis; Lucretius III 616 sq. unis sedibus et certis regionibus haeret, II 331 est quidam locus altis montibus, III 857 terra marique, IV 276 dextra laevaque, III 548 sq. loco quae fixa manet certo; Maro autem I 97 Iliacis occumbere campis, cf. VII 794 agmina densantur campis, II 621 spissis noctis se condidit umbris, cf. ib. 696 I 681, II 748, III 67, 388, V 243; II 442 haerent parietibus scalae, II 774, IV 280 vox faucibus haesit, X 361 haeret pede pes densusque viro vir, IX 419 trajectoque haesit cerebro, XII 415 tergo volucres haesere sagittae. III 392 solo recubans, I 3 terris jactatus et alto, cf. ib. 227, 667, III 197; Saepissime autem invenitur ablativus sine praepositione locative adhibitus additis adjectivis, quae sunt totus omnis summus medius: Lucretius III 892 summo cubat aequore saxi, 154 sq., 281 corpore toto, V 398 aethere toto, III 148 sq. omni corpore; itaque Vergilius I 110 mari summo, III 73 mari medio, ib. 104 medio ponto, 370 medio fluctu, X 665 medio aequore; quorum similia sunt haec: III 354 aulai medio, VII 563 Italiae medio, IX 230 castrorum et campi medio, XI 547 fugae medio; porro idem I 29 jactatos aequore toto, I 756 omnibus errantem terris et fluctibus.

Tum vero Ennii Lucilii Lucretii exempla secutus est Vergilius, quod loci significatione praeditos adhibuit ablativos substantivorum, quae sunt pars animus cor. pectus; etenim dedit Ennius Ann. 49 corde cupitus 210 animo lamentor 573 corde suo trepidat, tum Lucilius XXIX 2 habeasque animo, item Cicero Il. fr. I 1 animo tolerate labores, et Catullus ep. 250 volvebat animo, ib. 112 animo cupisti; Lucretius vero IV 238 parte interiore latebunt, V 769 certa mundi languescere parte, denique noster I 474 parte alia cf. XII 346; I 50 flammato corde volutans, 209 premit altum corde dolorem, 227 tales jactantem pectore curas, 657 nova pectore versat consilia 582 quae nunc animo sententia surgit, II 575 exarsere ignes animo, III 34 multa movens animo. Addo exempla verborum ponendi cum solo ablativo conjunctorum: Ennius Ann. 484 multa foro ponunt, Varro Atacinus placida composta quiete; Lucretius IV 71 prima fronte locata, III 104 non certa parte reponunt, Vergilius I 26 manet alta mente repostum, ib. 249 placida compostus pace, II 33 arce locari, ib. 245 sacrata sistimus arce ib. 620 patrio te limine sistam, ib. 172 vix positum castris simulacrum.

Temporis autem punctum, quo aliquid fit, cum Romani ablativo exprimerent, Aeneis nonnunquam ita usurpata exhibet verba, quae proprie a temporis significatione sunt aliena. Exempla habes haecce IV 309 hiberno sidere, ib. 310 mediis aquilonibus, I 470 primo somno, III 327 servitio enixae; quae non abhorrent ab antiquiorum usu, nam habet Lucilius inc. sat. 67 munere i. e. gladiatoribus, III 23 Romanis ludis, IV, 10, 1 Flaccorum munere, V 6 noctis nigrore: Tullius vero Arateorum fr. XXXII 286 autumnali atque lumine verno, Catullus identidem in epyllio: illa luce, laeta luce, vago certamine cursus victor.

Iam vero cum ablativo differentiae sive mensurae conjunguntur verba copiae et inopiae atque quae sunt ejusdem notionis adjectiva. Quare scripsit Ennius in Andromache: arce et urbe orba sum, Ann. libro incerto: loca feta furentibus ventis, Lucilius XII 5 quibus fructibus me decollavi, XXVII 35 hoc care-

bis commodo, XXX 58 hoc exuat se, inc. 124 stat sentibus fundus; Cicero Arat. fr. XXXII 84 missore vacans, Il. fr. III 2 cum decore atque omni me orbatum laude recordor; Catullus epyll. 277 sq. postquam spectando Thessala pubes expleta est; Lucretius I 606 agmine condenso naturam corporis explent, IV 1017 clamoribus omnia complent, V 992 et nemora ac montis gemitu silvasque replebat, III 356 matre caret, I 160 nil semine egeret, V 719 cassum lumine fertur, VI 1185 plenaeque sonoribus aurae; quos non deseruit Maro, cujus sunt I 270 imperio explebit, ib. 729 implevitque mero pateram, III 313 implevit clamore locum, II 20, 495 armato milite complent; II 44 ulla putatis dona carere dolis Danaum, V 173 nec lacrimis caruere genae, IX 584 peste caret, II 153 exutas vinclis palmas, III 123 hoste vacare domos, II 521 tali auxilio tempus eget, I 51 loca feta furentibus austris, II 237 sq. machina feta armis. I 85 creberque procellis Africus, IV 37 triumphis dives, ib. 355 quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis, II 85 nunc cassum lumine lugent, XI 104 aethere cassis, IX 546 plenos spumanti sanguine rivos.

Originem deinde cum solo ablativo haut raro exprimeret, veterum poetarum placitis obsecutus est Vergilius, quod facile demonstratur collatis exemplis. Atque Ennius quidem dedit Thyest. fr. 6 Tantalo prognatus Pelope natus, Erechth. fr. 2 Erebo creata fuscis crinibus nox, Ann. inc. 140 Saturno sancte create, VIII, 24 Poenos Didone oriundos, 330 Sarra oriundi, I 72, 117 o sanguen dis oriundum, 53 te sale nata precor Venus; tum Naevius Lycurgi fr. 21 Dryante regem prognatum patre, deinde Lucilius VI 2, 1 Lucanis oriundi montibus tauri, Cicero Arat. XXXII 20 natum summo Jove Persea, et Catullus epyll. 1 Peliaco prognatae vertice pinus, Lucretius I 874 alienigenis oriuntur, II 991 caelesti semine oriundi, I 869 quae terris exoriuntur, II 906 mortali corpore creta, V 69 quae tellure animantes extiterint, ib. 1269 argento facere hanc auroque parabant; denique Vergilius I 286 nascetur pul-

cbra origine, ib. 582 nate dea, ib. 297 Maja genitum, II 74, III 608 quo sanguine cretus, II 540 satum quo te mentiris, IV 198 Hammone satus, IX 672 Idaeo Alcanore creti, I 655 duplicem gemmis auroque coronam, II 765 crateresque auro solidi, III 286 aere cavo clipeum, ib. 304 sq. viridi quem caespite inanem sacraverat, ib. 467 loricam auro trilicem, II 16 sectaque intexunt abiete costas, V 663 pictas abiete puppes, X 783 orbem aere cavom.

Maximus autem numerus est locorum, in quibus ablativo instrumenti Vergilius secundum priorum poetarum exempla usus est: Aen. I 402 rosea cervice refulsit, Cicero Arat XXXII 108 stellarum luce refulgens, Lucretius II 27 nec domus argento fulgenti auroque renidet; Aen. I 307 quas vento accesserit oras, Ennius Ann. 380 accedere ventis navibus velivolis, ib. 148 volabat vento; Aen. I 90 crebris micat ignibus aether, Lucretius V 514 quo volvenda micant aeterni sidera mundi; Aen. I 173 sale tabentes artus, Lucretius IV 1120 tabescunt volnere caeco, ib. 1262 aliis extenuantur tabentque vicissim; Aen. I 637 regali splendida luxu, Catullus epyll. 46 regali splendida gaza; Aen. II 244 caecique furore, I 349 auri caecus amore, Catullus epyll. 197 amenti caeca furore, Lucretius IV 1153 homines cupidine caeci; Aen. II 298 vario miscentur moenia luctu, XII 444 sq. caeco pulvere campus miscetur, Cicero Arat. XXXII 152 Flumine mixta, Lucretius III 842 terra mari miscebitur et mare coelo, ib. 233 mixta vapore; Aen. XI 634 permixti caede virorum, Lucretius III 351 animam permixtam corpore toto; Aen. II 312 freta igni relucent, Cicero Arat. XXXII 37 parvo lumine lucent, 50 nec parvis nec claris lucibus ardet; Aen. VII 526 horrescit strictis seges ensibus, XII 663 strictisque seges mucronibus horret, Ennius Ann. 385 horrescit telis; Aen. II 45 hoc ligno inclusi, XI 488 suras inclusserat auro, XII 210 sq. aere decoro inclussit, Lucretius IV 1127 auro includuntur; Aen. VII 804, XI 433 florentes aere catervas, Lucretius I 255 hinc laetas urbes pueris florere videmus, V 1442 mare velivolis florebat

puppibus, ubi et ipse praeiit Ennius, si Servio credemus. Tum Aen. V 870 O nimium caelo et pelago confise sereno, XI 787 freti pietate, Ennius Ann. 29 fretus muro; Aen. I 704 flammis adolere penates, VII 71 castis adolet dum altaria taedis, Lucretius IV 1236 adolentque altaria donis; Aen. V 241 sq. et pater ipse manu magna Portunus euntem impulit, Ennius Ann. 359 manu magna Romanos impulit amnis; Aen. II 582 Dardanium totiens sudarit sanguini litus, Ennius trag. 213 terra sudat sanguine; Aen. II 220 manibus tendit divellere nodos, Lucretius I 201 magnos manibus divellere montes; Aen. I 45 turbine corripuit, Lucretius I 279 subito vexantia turbine raptant; Aen. IV 304 his compellat vocibus ultro, V 161 compellat voce Menoeten; Ennius Ann. 45 compellare pater me voce videtur; Aen. IV 360 incendere querellis, Catullus epyll. 19 incensus amore: Aen. II 265 somno vinoque sepultam, III 630 vino sepultus, Ennius Ann. 291 vino domiti somnoque sepulti, Lucretius I 133 somnoque sepultis; Aen. IV 584, IX 549, XII 113 novo spargebat lumine terras, Lucretius II 144 novo cum spargit lumine terras; Aen. VIII 394 aeterno devinctus amore, Ennius Ann. 5 somno leni placidoque revinctus, Lucretius I 34 aeterno devictus volnere amoris; Aen. II 443 nituntur gradibus, IV 252 paribus nitens Cyllenius alis, Ennius Ann. 168 scalis nituntur, ib. 148 densis aquila pinnis obnixa, Cicero de Cons. II 36 stellanti nixus Olympo, Arat. XXXII 85 nitens pinnis; Aen. X 215 sq. almaque curru noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum, Ennius Ann. 1 pedibus magnum pulsatis Olympum; Aen. II 55 ferro foedare latebras, ib. 502 sanguine foedantem, Ennius Ann. 406 ferro foedati, Catullus in epyllio: canitiem terra atque in fuso pulvere foedans, Aen. X 844 canitiem multo deformat pulvere; IV 482, VIII 797 stellis ardentibus aptum, Ennius Ann. 343 stellis ardentibus apta, ib. 30, 162 stellis fulgentibus aptum, idem hemistichium Lucretius, sed Lucilius XXX 94 restibus apta. Tum vero Aen. IV 532 magnoque irarum fluctuat aestu, VIII 19 magno curarum fluctuat aestu, Ca-

tullus epyll. 62 magnis curarum fluctuat undis, Lucretius IV 1077 fluctuat incertis erroribus, Aen. VI 30 caeca regens tenui filo vestigia, Catullus epyll. 113 errabunda regens tenui vestigia filo; Aen. VIII, 2 rauco strepuerunt cornua cantu, III 432 caeruleis canibus resonantia saxa, XII 591 sq. murmure caeco intus saxa sonant, Ennius Ann. 196 sonabat fremitu, Lucretius II 619 raucisono minantur cantu; Aen. IV 1 gravi saucia cura, XII 5 saucius gravi venantum volnere, Cicero Mar. II 2 serpentis saucia morsu; Aen. IX 251 voltum lacrimis atque ora rigabat, XII 308 rigat arma cruore, Cicero de Cons. II 45 vitali rore rigabat: Aen. 282 decernere ferro, ib. 709 cernere ferro, utrumque Ennianum; Aen. V 71 ore favete omnes, Ennius Ann. 415 ore faventes; Aen. II 221 perfusus sanie vittas atroque veneno, III 397 quae nostri perfunditur aequoris aestu, XI 495 adsuetus aquae perfundi flumine noto, Catullus ep. 330 quae te flexanimo perfundat mentis amore, Lucretius II 148 perfundens omnia luce, ib. 821 perfusa coloribus; Aen. II 581 Troja arserit igni, Lucretius IV 1090 ardescit dira cuppedine pectus, Aen. I 713 ardescitque tuendo; ib. 680 sopitum somno, Lucretius III 431 somnis sopiti, ib. 1038 sopitus quietest; Aen. I 745 Oceano properent se tinguere soles cf. XI 913, XII 358, Catullus epyll. 50 tincta roseo conchyli purpura fuco, Lucretius II 736 consimili tincta colore; Aen. II 163 Palladis auxilio semper stetit, ib. 352 di quibus imperium hoc steterat, Ennius Ann. 492 moribus antiquis res stat Romana virisque, Aen. II 366 poenas dant sanguine Teucri, IX 422 calido mihi sanguine poenas persolves amborum, Ennius Ann. 101 nam mi calido das sanguine poenas; Aen. V 314 Argolica hac galea contentus abito, Lucilius XXX 59 his te versibus interea contentus teneto, Cicero Arat. XVI tenui contenti vivere cultu.

Iam transeo ad ablativum causae, cujus rationes iisdem modulis temperari non possumus non concedere. Naevius enim cum habeat Lycurgi fr. 22 jam solis aestu candor cum liquesceret, tum Ennius Ann. 504 vincla suis magnis animis abrupit,

Alex. fr. 7 is habet coronam vitulans gaudio; 9 quo judicio Lacedaemonia mulier Furiarum una advenit, Med. ex. fr. 1 imperio regis Peliae; haec exempla et ceteri poetae imitati sunt et Vergilius; quare scripsit Lucilius l. V macte inquam virtute simulque his versibus esto, XXX 13 qui non spectandi studio sed ominis tetri impulsu ingressus, Cicero Arat. XXXII 65 sq. non sese Aurora vestris querellis ocius ostendet, Lucretius I 91 aspectuque suo lacrimas effundere cives. ib. 92 muta metu; nec non Maro II 247 dei jussu, ib. 412 armorum facie et Grajorum errore jubarum, IV 331 Jovis monitis immota tenebat lumina, II 63 visendi studio, VII 592 saevae nutu Junonis eunt res, IX 641 macte nova virtute, XI 568 neque ipse manus feritate dedissit, XII 254 sq. ipso pondere defecit.

Ablativi limitationis autem habes exempla haec: Ennius Ann. 184 nomine Burrus, ib. 245 malaque et bona dictu, Lucilius XXVI 55 animo qui aegrotat, XXX 66 publica lege uti mereas, Cicero Arat. XXXII 251 multum spatio praestare, Lucretius II 175 omnibus rebus magnopere a vera lapsi ratione videntur, atque noster III 350 Achaemenides nomine III 581 miseranda cultu, I 72 quae forma pulcherrima Deiopeia, XII 25 haut mollia fatu, I 445 facilem victu.

Deinde ad ablativum modi transgressi eandem quam supra poetarum constantiam agnoscemus. Etenim invenimus apud Naevium Belli Punici l. I fr. 18 quo modo, apud Ennium Atham. 152 Bacchico modo, Alcum. fr. 12 multis sum modis circumventus, Telam. fr. 4 more antiquo audibo, Androm. Aechm. fr. 3 bellum gerentes summum summa industria, apud Martium vatem carm. II decemviri graeco ritu hostiis sacra faciant; praeterea habet Naevius B. Pun. I fr. 2 sacra in mensa penatium ordine ponuntur, Ennius Ann. 168, 404 summa nituntur opum vi, 177 leni fluit agmine flumen Epigr. I 3 nec funera fleta faxit, Ann. 260 rumore secundo, 281 summo sonitu quatit ungula terram, ib. 164 saltu, Alex. 60 maximo saltu superabit ardua Pergama; poeta incertus apud Ciceronem secundo rumore ad-

versaque avi; Cicero Il. fr. I 15 tremulo clangore volabat, Arat. XXXII 227 simili ratione, ib. 713 cadunt lapsu, ib. III labuntur celeri motu, Lucretius I 123 simulucra modis pallentia miris, IV 1264 sq. more ferarum quadrupedumque ritu, II 252 ordine certo, I 41 aequo animo, ib. 273 rapido percurrens turbine campos, ib. 288 dat sonitu magno stragem, V 271 fluit agmine dulci, sed Aen. I 83 turbine perflant, ib 509 concursu accedere magno, ib. 519 clamore petebant, ib. 354 ora modis attollens pallida miris, II 322 gemitu cum talia reddit, ib. 450 agmine denso, ib. 782 leni fluit agmine Thybris, ib. 566 corpora saltu ad terram misere, VI 515 sq. saltu super ardua venit Pergama, XII 287 corpora saltu subjiciunt in equos, ib. 362 sq. saltuque emicat in currum, III 225 magnis quatiunt clangoribus alas, ib. 411 longo circuitu, IV 154 transmittunt cursu campos, ib. 451 more ferae, ib. 641 studio celebrabat anili, V 90 agmine longo, ib. 102 ordine aena locant, III 179 remque ordine pando, V 192 certamine summo, ib. 338 plausuque volat fremituque secundo, VII 462 magno sonore, ib. 498 sq. acta multo sonitu arundo, VIII 90 rumore secundo, ib. 590 quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum, IX 706 fulminis acta modo, ib. 611 nivis ritu, XI 852 se rapido nisu sistit.

Denique ablativi qualitatis exempla sufficient haec: Ennius Ann. IX, 4 Cornelius suaviloquenti ore Cethegus Marcus, ib. 259 gladios filo gracilento, Cicero Il. fr. I 10 immani specie tortuque draconem, Arat. XI eximio posita est fulgore corona, Lucretius I 118 perenni fronde coronam, VI 2 praeclaro nomine Athenas; Aen. I 71 bis septem praestanti corpore nymphae, III 677 lumine torvo Aetnaeos fratres, ib. 426 pulchro pectore virgo, XII 123 exercitus variis armis, ib. 165 bina lato hastilia ferro.

Accusativum loci sine praepositione in positum inveni apud Ennium Ann. 72 rivos camposque remanant, si modo genuina est haec lectio, Catullum epyll. 82 Cretam portarentur, Lucretium VI 742 e regione ea quod loca cum venere volantes, I 116 an pecudes alias divinitus insinuet se, Vergilium Aen. I 2 Ita-

liam Lavinaque venit litora, ib. 363 devenere locos, ib. 388 Tyriam qui adveneris urbem, ib. 512 alias avexerat oras, II 742 tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam venimus, ib. 781 et terram Hesperiam venies, III 601 quascumque abducite terras, ib. 505 unde iter Italiam cursusque brevissimus undis, XI 793 patriam remeabo inglorius urbem.

Cognatus est accusativus temporis: Naevius Agit. fr. I, 5 hunc unum diem, Ennius Alex. 86 multos annos latuit, Ann. VII, 10 magnam diei partem X 5 noctes atque dies, Cicero Arat. III 2 noctesque diesque feruntur, Lucretius I 142 noctes vigilare serenas, II 12, III 62 noctes atque dies, Aeneis I 47 sq. tot annos bella gero, ib. 272 ter centum totos regnabitur annos, ib. 683 noctem non amplius unam, III 203 sq. tres adeo incertos soles erramas pelago, ib. 597 paulum adspectu conterritus haesit, IV 649 paulum morata, VI 127 noctes atque dies, ib. 556 noctesque diesque.

Eodem pertinet accusativus, quem graecum appellant grammatici, cujus exempla haec sunt: Enn. Ann. IX 7 perculsi pectora Poeni, XV 4 succincti corda machaeris, Catullus epyll. 64 non contecta levi velatum pectus amictu, ib. 122 devinctam lumina somno, ib. 207 caeca mentem caligine consitus, Lucretius I 13 perculsa corda tua vi, III 64 non minimam partem mortis formidine aluntur ib. 489 tremit artus, Aen. I 228 lacrimis oculos suffusa nitentis, ib. 320 nuda genu nodoque sinus collecta fluentis, II 57 manus juvenem pos terga revinctum, ib. 629 tremefacta comam, XI 480 oculos dejecta decoros, ib. 507 oculos horrenda in virgine fixus, XII 5 saucius gravi volnere pectus, ib. 25 nec genus indecores VII 503 palmis percussa lacertos.

Accusativi gradus significatio expressa est formis quae sunt multum quantum tantum simil: Ennius Ann. 436 multumque laborat, ib. 315 ergo plusque magisque viri nunc gloria claret; Lucilius XXX 35 neminis ingenium tantum confidere oportet ib. 41 non proficis hilum, Cicero Arat. XXXII 334 sq. quantum —

tantundem, d. Cons. II 60 multumque morata, Lucretius II 484 multum variare, IV 1248 multum differre videntur, ib. 1240 steriles nimium crasso sunt semine partim, ib. 417 a terris quantum caeli patet altus hiatus, V 3 quisve valet verbis tantum, Aen. IX 501 multum lacrimantis, IV 657 heu nimium felix, XI 841 sq. nimium crudele luisti supplicium, X 7 tantum certatis, VI 731 quantum non corpora noxia tardant, XI 435 tantumque obsto XII 19 sq. quantum exsuperas.

Sequitur accusativus ejusdem etymi sive significationis verbis appositus etiam intransitivis et passivis. Sic Ennius l. inc. 60 regredi gressum, Iphig. 259 vitam vivitur, id. vicit Olympia; Lucilius inc. 59 magnam pugnavimus pugnam, Catullus ep. 6 ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi, Lucretius II 1137 largos exaestuat aestus, III 569 moventur sensiferos motus; Aen. I 67 Tyrrhenum navigat aequor, ib. 340 imperium regit ib. 524 maria omnia vecti, II 730 sq. omnem evasisse viam, V 255 quorum aequora curro. Neque vero dissimilia sunt huic usui neutra adjectivorum pronominumque eadem ratione usurpata, quare dixit Ennius Ann. 339 si quid te adjuero, ib. 210 sed quid ego haec lamentor, ib. 51 multa manus tendebam, Iphig. 255 id studet, Naevius Proi. quid moras, Ennius Ann. 517 tonuit laevum, Cicero Arat. XXII 2 truculenta tuetur, Catullus epyll. 150 nihil perjuria curant, ib. 116 quid commemorem, Lucretius I 398 quamvis causando multa moreris, V 1062 immane fremunt, IV 1274 idque — consuerunt moveri, III 44 nec quicquam nostrae rationis egere, II 650 nil indiga nostri, III 6 quid enim contendat hirundo cycnis V 33 acerba tuens; quos secutus Vergilius Aen. I 9 quidve dolens, ib. 518 quid veniant, ib. 745 quid properent. II 101 sq. sed quid ego haec revolvo quidve moror, ib. 690 adspice nos hoc tantum, XI 471 multaque se incusat, I 465 multa gemens, II 630 supremum congemuit, VI 288 horrendum stridens, IX 705 magnum stridens, ib. 484 extremum te adfari, II 693 IX 631 intonuit laevom, ib. 794 acerba tuens, XII 388 sq. miserabile caesis hostibus insultans,

ib. 398 acerba fremens, V 19 transversa fremunt XII 405 sq. nihil auctor Apolto subvenit.

Addo exempla verborum affectuum quae dicuntur cum accusativo conjunctorum Cicero Arat. XXXII 158 formidans acrem morsum, Catullus epyll. 159 saeva quod horrebas prisci praecepta parentis, ib. 400 destitit extinctos natus lugere parentes, Lucretius II 58 quae pueri pavitant, V 1139 magnam lugebat honorem, Aen. II 35 pars stupet donum exitiale Minervae, ib. 85 cassum lumine lugent, ib. 93 casum indignabar amici, VII 265 vultus neve exhorrescat amicos, III 394 morsus horresce futuros, XI 403 Phrygia arma tremescunt.

Tum vero quantopere pendeat Maro ex priorum poetarum inventis haut obscure indicatur eo, quod cum alios tum Lucretium imitatus est in moderandis compositorum eorum rationibus, quae derivantur a verbis intransitivis. Horum enim non pauca accusativum accipiunt praeter vulgarem consuetudinem. Scripsit igitur Ennius Ann. 162 suspexit caelum ib. 527 accedit muros Romana juventus, Lucilius inc. l. 35 quae res me impendet, ib. 56 qui campos collesque gradu perlabitur uno, III 63 Setinum accessimus finem, XXIV 3 omnes evasuros censent aegritudinem, XXVI 21 gladium incumbat, Cicero Il. IV 3 haec est transvectus caerula cursu, Arat. XXXII 217 subiens inferna Leonis, Catullus epyll. 341 flammea praevertet celeris vestigia cervae, tum Lucretius II 330 tramittunt valido quatientes impete campos, IV 2 juvat integros accedere fontes, II 145 nemora avia pervolitantes, V 1221 magnum percurrunt murmura caelum, V 1330 feros exibant dentis adactus, I 924 avia peragro loca, IV 838 linguae origo praecessit sermonem, I 14 rapidos tranant amnes; Vergilius autem haec: Aen. I 147 summas perlabitur undas, ib. 400 pleno subit ostia velo, II 268 invadunt urbem, ib, 648 sq. qui me afflavit, I 10 tot adire labores, ib. 307 quas vento accesserit oras, XI 301 cum muros assidet hostis, IX 413 transit praecordia, XI 433 transabiit costas, IV 245 turbida tranat nubila, X 265 athera tranant, IV 154 patentis trans-

mittunt campos, XI 750 vim viribus exit, ib. 760 sq. Camillam circuit. IV 363 totumque pererrat luminibus tacitis, I 83 terras turbine perflant, ib. 438 fastigia suspicit urbis, V 235 nunc victam praeterit, VI 134 Stygios innare lacus. ib. 369 Stygiamque innare paludem.

Ad Dativi, qui vocatur commodi, habes exempla haecce: Ennius Ann. 103 nam sibi quisque domi Romanus habet sas, ib. 110 sq. quod mihi se fortunatim vortat, ib. 145 sq. loca navibus pulchris munda facit, ib. 244 cui eloqueretur, Lucilius III 16 spatium curando corpori honestum, inc. l. 89 non omnibus dormio, I 10 cui populus vix totus satis sit, XIII 2 cui parilem fortuna locum fatumque tulit fors, Cicero de suo tempore 1 cedant arma togae concedat haurea laudi, d. Cons. II 65 patribus populoque patebat, Catullus epyll. 196 vae miserae, ib. 59 inrita ventosae linquens promissa procellae, ib. 299 sq. relinquens montibus Idri. ib. 161 tibi famularer, ib. 173 indomito nec dira ferens stipendia tauro, Lucretius IV 4 insignemque meo capiti petere inde coronam, I 688 quae corpora mittere possit sensibus, ib. 832 concedit nobis patrii sermonis egestas, VI 1131 sq. venit bubus pestilitas et pigris balantibus aegror, Vergilius Aen. I 8 mihi causas memora, ib. 78 mihi concilias, ib. 136 mihi commissa luetis, ib. 257 manent immota tuorum fata tibi, ib. 425 pars optare locum tecto, ib. 427 theatris fundamenta petunt, ib. 429 scaenis decora alta futuris, II 48 equo ne credite Teucri, ib. 85 demisere Neci, ib. 130 quae sibi quisque timebat, ib. 324 venit Dardaniae summa dies, XI 421 Trojanis victoria venit, II 367 victis redit in praecordia virtus, ib. 667 cui relinquor, IV 323 cui me moribundam deseris, II 786 servitum — matribus ibo, III 484 nec cedit honori, VI 846 nobis restituis rem, I 463 feret haec aliquam tibi fama salutem, VII 305 sq. concessit — Dianae, II 661 patet isti janua leto, IX 59 pleno insidiatur ovili, I 654 colloque monile bacatum, IV 344 posuissem Pergama victis, XII 9 gliscit accenso violentia Turno, ib. 241 sq. rebusque salutem sperabant. Addenda deinde sunt ver-

ba dandi et adimendi; Ennius Ann. VII 16 fortibus est fortuna viris data, ib. 101 mi calido das sanguine poenas, Tel. fr. 6 leto dati, Lucretius I 28 da dictis leporem, IV 1000 una dies dabit exitio, VI 1144 mortique dabantur, I 1115 nec tibi caeca nox iter eripiet, Naev. Col. fr. 2 pedibus me dedi, Vergilius II 134 eripui leto me, XII 328 dat fortia corpora leto, ib. 341 Neci dedit, ib. 454 sq. dabit ille ruinas arboribus stragemque satis.

De dativo autem energico cum conveniat poetis prioribus cum prosae orationis modulis, pauca sufficient exempla: Ennius Ann. 86 omnibus cura viris, uter esset induperator, ib. 46 tibi sunt ante ferendae aerumnae, Lucretius I 365 plus esse sibi declarat inanis, ib. 127 sq. habenda nobis est ratio, ib. 944 quibus non est tractata, Aen. I 11 tantaene animis caelestibus irae, ib. 71 sunt mihi bis septem — nymphae, II 780 longa tibi exilia et vastum maris aequor arandum, XI 259 vel Priamo miseranda manus, I 326 nulla tuarum audita mihi neque visa sororum, II 247 ora — non umquam credita Teucris, XII 391 Phoebo dilectus Iapys.

Restat dativus post verba positus, quae significant motum, composita plerumque cum ad in sub ob praepositionibus. Sic Ennius trag. inc. 18 imprimere genae genam, Hect. lustr. 3 castris inferre castra jam fere occupat, Lucilius inc. 89 imposui pellibus labem, ib. 137 facie quod honestas accedit, I 14 cuicunque obstiterit, ib. 15 contendere possem Thestiadas Ledae atque Ixionas Archilochio, IV 11, 5 dextrae gladium dum accomodat alter, ib. 16 haeret verticulis adfixum, V 23 scutulamque cerebro ligneolam inflixit, VII 4, 2 frontibus immissas capronas comas, XXVI 22 dictis animum attendas, Catullus epyll. 10 pinea conjungens inflexae texta carinae, ib. 42 squalida desertis robigo infertur aratris, ib. 120 omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem, ib. 343 non illi quisquam bello se conferet heros, Cicero Il. I 18 qui luci ediderat, Arat. XIII 1 huic-affixa videtur, XX 2 subjectus mediae est cancer, Varius apud

Macrobium: incubet et Tyriis, Lucretius V 630 terrisque propinquat, IV 1179 foribus oscula figit, ib. 297 allidat pilaeve trabive, V 567 membris adflare vaporem, VI 1143 incubuit populo Pandionis omni, ib. 189 montibus adsimulata. Intendit hanc licentiam Vergilius Aen. I 7 inferretque deos Latio, ib. 22 venturum excidio Libyae, ib. 49 scopuloque infixit acuto, ib. 69 Ponto nox incubat atra, ib. 83 incubuere mari, IV 83 stratisque relictis incubat, ib. 650 incubuitque toro, VI 610 divitiis incubuere repertis, VII 88 pellibus incubuit stratis, I 126 alto prospiciens, ib. 210 se praedae accingunt dapibusque futuris, XI 707 pugnaeque accinge pedestri, I 212 veribusque trementia figunt, ib. 504 instant operi regnisque futuris, II 18 includunt caeco lateri, ib. 393 laterique Argivom accomodat ensem, ib. 385 adspirat primo fortuna labori, ib. 370 se offert nobis, ib. 589 sq. cum mihi se-optulit, ib. 707 cervici imponere nostro III 292 portuque subimus Chaonio, ib. 428 utero commissa luporum, ib. 569 Cyclopum allabimur oris, IV 16 ne cui me vinclo vellem sociare jugali, II 396 immixti Danais, X 664 nubi se immiscuit atrae, XI 788 templis praefigeret arma, ib. 813 subjecit pavitantem utero, XII 88 circumdat loricam umeris, ib. 244 formam adsimulata Camerti, ib. 292 involvitur aris, X 788 trepidanti fervidus instat, XI 742 Venulo adversum se infert, XII 319 ecce viro allapsa sagitta est, ib. 719 quis nemori imperitet. Eodem pertinent verba pugnandi cum dativo sine praepositione posita, quale est apud Catullum 62, 64 noli pugnare duobus, Lucretium III 6 quid enim contendat hirundo cycnis, V 1082 praedaeque repugnant, VI 97 concurrunt nubes aetheriae contra pugnantibus ventis, Maronem I 475 impar congressus Achilli, ib. 493 audetque viris concurrere virgo, IV 38 pacitone etiam pugnabis amori, XI 600 pressis pugnat habenis, XII 60 manum committere Teucris, ib. 678 stat conferre manum Aeneae.

Iam genetivi subjectivi rationes omnino non abhorrent a prosa oratione; etenim legitur apud Ennium Ann. 18 Venus

pulcherrima dium, ib. 22 dia dearum, ib. 55 sancta deorum, ib. 341 ecquid erit praemi, Lucretium I 360 sq. quantum corporis in plumbo est, ib. 365 plus esse sibi declarat inanis, II 16 hoc aevi quodcunque est, neque non in Aeneide I 78 quodcunque hoc regni, ib. 602 quicquid ubique est gentis Dardaniae, ib. 96 Danaum fortissime gentis, II 6 sq. quis Myrmidonum Dolopumve, ib. 314 sat rationis, IV 576 sancte deorum, XI 374 si patrii quid Martis habes; ib. 441 haut ulli veterum; deinde apud Ennium Ann. 96 ter quattor corpora sancta avium, ib. 66 in caerula caeli templa, ib. 505 campi per caerula laetaque prata, Catullum epyll. 62 curarum fluctuat undis, ib. 394 belli certamine, ib. 149 turbine leti, Lucretium VI 825 reliquias vitae, ib. 1153 vitai claustra, ib. 1157 leti jam limine in ipso, Aen. I 30 reliquias Danaum atque immitis Achilli, ib. 105 aquae mons, ib. 112 aggere cingit harenae, II 333 ferri acies. Neque vero sprevit Vergilius Lucretii exempla quae sunt I 86 prima virorum, ib. 315 strata viarum, ib. 489 per saepta domorum, nam invenimus Aen. II 322 angusta viarum, ib. 727 opaca locorum, VI 633 opaca viarum, I 422 strata viarum.

Sed genetivus objectivus apud poetas, interdum etiam contra prosae orationis normam pendet primum ab adjectivis; sic Ennius Ann. 80 cupientes regni, ib. 224 dicti studiosus, ib. 342 plenus fidei, ib. 400 bellique peritus, trag. fr. 187 summarum rerum incerti, 440 aevi integer, Lucilius XXVI 63 domuitionis cupidi, XXX 79 porriginis plenum, Cicero Arat. XXXII 66 clari praemuntia solis, Lucretius III 5 certandi cupidus, II 50 rerumque potentis, ib. 167 ignari materiai, III 1011 lucis egenus, IV 1163 plenaque honoris, ib. 1033 nuntia praeclari voltus puchrique coloris; at Aen. I 14 dives opum, ib. 80 nimborum tempestatumque potentem, ib. 178 fessi rerum, ib. 332 ignari hominumque locorumque, ib. 460 quae regio-nostri non plena laboris, 599 omnium egenos ib. 350 securus amorum, VII 304 securi pelagi atque mei, XI 812 conscius audacis facti, II 427 servantissimus aequi, ib. 638 integer aevi sanguis, IX 255 integer aevi Asca-

nius, IV 300 inops animi, XII 19 praestans animi, V 237 votireus, ib. 73 maturus aevi, IX 246 animi maturus, VI 77 Phoebi nondum patiens, XI 639 volneris impatiens, ib. 139 tanti praenuntia luctus, XII 189 trepidae rerum; ex quibus exemplis maxime ad rem nostram faciunt, quae efficta sunt ad analogiam Enniani illius, quod est integer aevi.

Addo exempla verborum. Ennius Ann. 587 quem non virtutis egentem, trag. 126 opis, egens, Lucilius inc. 84 argenti indiges, Catullus epyll. 138 nostri vellet miserescere pectus, ib. 322 perfidiae quod post nulla arguit aetas, Lucretius III 44 nec — quicquam nostrae rationis egere, IV 502 rationis egentem, III 881 ipse sui miseret, V 1032 imbecillorum misererier, ib. 1162 ararum compleverit urbes, IV 713 meminere fugai; Vergilius Aen. I 733 nostrosque hujus meminisse minores, ib. 215 implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae, II 586 sq. animumque explesse juvabit ultricis flammae, XII 43 miserere parentis, VIII 299 rationis egentem, XI 27 quem non virtutis egentem, IX 288 cum classis egeret, XI 383 sq. meque timoris argue tu, IV 221 oblitos famae melioris amantes.

Denique substantiva cum genetivo objectivo conjuncta habes haec: Ennius Ann. 437 nec respirandi fuit copia, Lucilius IV 11, 6 odio illius, XXVI 52 cum fastidio edendi vivere, XXIX 26 satias omnium rerum, XXX 13 spectandi studio, Catullus epyll. 19 Thetidis amore; Lucretius I 924 sq. amorem musarum, V 179 vitae amorem, III 59 honorum caeca cupido, III 37 metus — Acheruntis, ib. 79 vitae — odium lucisque videndae, Vergilius I 132 fiducia generis, II 162 coepti fiducia belli, XI 502 sui fiducia, I 349 auri caecus amore, ib. 462 sunt lacrimae rerum, II 784 lacrimas delectae pelle Creusae, ib. 73 visendi studio, III 532 pelagine venis erroribus actus, VI 653 quae gratia currum armorumque fuit vivis I 361 odium crudele tyranni; porro scripsit Cicero Arat. XXXII 83 lumborum tenus, Lucretius I 940, IV 15 labrorum tenus, V 1246 formidinis ergo, Ca-

tullus epyll. 18 nutricum tenus, quibuscum convenit Vergilio Aen. VI 670 illius ergo, V 210 laterum tenus.

Iam vero quantopere consentiat in casuum doctrina sive secundum prosae orationis normam adhibenda, sive auctoribus poetis veteribus immutanda, Vergilius cum antiquioribus, satis mihi videor demonstravisse; quare transeo ad praepositiones.

Atque a ab quidem locum exprimit, unde aliquid exit initium capit proficiscitur oritur: Naevius frag. inc. 110 ab amica abduxit, Tarent. 78 a labris auxilium invocat, Ennius epigr. III 7 a sole exoriente; Alcum. 55 Diana facem jacit a laeva, Catullus epyll. 198 nascuntur pectore ab imo, Lucretius I 721 mare dividit oras a finibus ejus, II 690 leti jam limine ab ipso, IV 1222 quae patres tradunt a stirpe profecta, Vergilius Aen. I 1 Trojae qui primus ab oris venit, II 203 a Tenedo, VI 335 a Troja II 274 quantum mutatus ab illo Hectore; III 94 quae vos a stirpe parentum prima tulit tellus, ib. 168 genus a quo principe nostrum, ib. 335 Trojano a Chaone dixit, IV 79 pendetque iterum narrantis ab ore, ib. 375 socios a morte reduxi, I 485 gemitum dat pectore ab imo, VI 55 funditque preces rex pectore ab imo. Tum loci significatio transfertur ad tempus: Cicero Arat. VI 3 prima a nocte, Lucilius inc. 2, 1 a mane ad noctem, Lucretius V 548 prima conceptum ab origine, Aen. II 87 primis huc misit ab annis, et ad actiones praecipue apud verba passiva: Ennius Ann. 199 victusque sum ab isdem, Catullus epyll. 275 purpurea a luce refulgent, Lucretius I 813 alimur nos certis ab rebus, Aen. 2 III 570 portus ab accessu ventorum immotus, IV 356 Jove missus ab ipso.

Cum: Ennius Ann. 62 vix aegro cum corde meo me somnus reliquit, ib. 179 cum corde suo effatur, ib. 530 effudit voces proprio cum pectore sancto, ib. 80 curantes magna cum cura, ib. 37 teque tuo cum flumine sancto, II 11 mecum decernere ferro, Lucretius I 275 acri cum fremitu VI 1285 multo cum sanguine rixantes, I 287 validis cum viribus amnis, VI 1233 maesto cum corde jacebat, Aen. I 36 Juno haec secum, ib. 292

Remo cum fratre Quirinus II 532 multo vitam cum sanguine fudit, I 61 magno cum murmure montis; VIII 55 bellum ducunt cum gente Latina, XI 421 cum multo gloria venit sanguine, V 328 vastis cum viribus effert ora Dares, VIII 72 tuque tuo cum flumine sancto, VI 185 atque haec ipse suo tristi cum corde volutat, VIII 522 suo tristi cum corde putabant.

De locum significat: Catullus epyll. 398 cupida de mente fugarunt, Lucretius II 354 sanguinis expirans calidum de pectore flumen, Aen. IV 1 invitus tuo de litore cessi, IX 414 vomens calidum de pectore flumen; tum partitivam habet significationem Lucretius II 104 cetera de genere horum, Aen. II 78 neque me Argolica de gente negabo; deinde originis: Lucretius I 157 nil posse creari de nilo; Aen. IV 327 si de te suscepta fuisset ante fugam suboles; denique respondet graeco περί c. gen.: Lucretius I 25 quos de rerum natura pangere conor, Lucilius I 1 consilium summis hominum de rebus habebant, cf. Aen. IX 227, XI 445 dubiis de rebus agebant, IV 317 si bene quid de te merui.

E, ex primum significationem habet localem: Ennius Ann. 89 quam mox emittat pictis e faucibus currus, Lucretius I 39 suaves ex ore loquellas funde, Aen. I 378 raptos ex hoste penates, deinde partitivam: Lucretius II 639 duo ex omnibus, Vergilius III 377 pauca tibi e multis-expediam, porro originis: Lucretius I 61 ex illis sunt omnia primis, Vergilius VIII 621 loricam ex aere rigentem XI 10 clipeum ex aere, ib. 850 terreno ex aggere bustum; transfertur etiam ad mentis actiones: Lucretius VI 423 ex his cognoscere rebus, Aen. XII 435 Disce virtutem ex me, fortunam ex aliis, et ad mutationem exprimendam: Ennius Andr. Aechm. fr. 10 ex opibus summis opis egens tuae, Lucretius IV 325 e laevo sit mutua dexter, Vergilius Aen. X 221 nymphas e navibus esse jusserat, VII 19 sq. hominum ex facie induerat-in voltus ac terga ferarum; tum idem significat quod secundum: Lucretius I 605 ex ordine, Vergilius VII 139, 177 ex ordine VIII 186 has ex more dapes; denique tempus:

Lucretius I 550 ex infinito tempore, Vergilius XI 275. ex illo tempore, ib. 261 militia ex illa, IX 63 sq. collecta ex longo rabies, VIII 47 ex quo.

Pro praepositio idem significat quod loco, instar: Lucretius III 367 si pro foribus sunt lumina nostra, Ennius trag. 176 pro incertis certos dimitto, Aen. I 659 pro dulci Ascanio veniat, III 45 unum illud-proque omnibus unum praedicam; deinde, quod secundum: Ennius trag. 181 pro viribus, Lucretius V 2 pro rerum majestate, Vergilius Aen. VIII 472 pro nomine tanto exiguae vires, tum de remuneratione usurpatur: Ennius Epigr. 6 pro factis reddere pretium, Catullus epyll. 81 suum pro caris corpus Athenis proicere, Aen. II 17 votum pro reditu simulant, nec non Lucretius III 1014 poenarum pro malefactis.

De sine praepositione nihil fere est notandum, nisi quod et Lucretius (I 155 opera sine divum) et Vergilius (XII 83 te sine) usitatam positionem inverterunt.

Ad dicitur et de motu sive vero sive per metaphoram accipiendo: Lucretius VI 8 ad caelum fertur, Aen. I 86 vastos volvunt ad litora fluctus, ib. 64 ad quem-his vocibus usa est, et de quiete: Lucretius VI 729 ad caput, Aen. I 24 quod ad Trojam gesserat.

Ante non de loco magis quam de tempore et comparatione usurpatur: Lucretius I 89 ante aras adstare, ib. 938 ante ipsam genitam naturam animantis, Plautus: ante alios, ante omnes, Vergilius I 95 ante ora patrum, ib 114 ipsius ante oculos (cf. Lucr. I 62, 344, 998) IV 328 ante fugam, I 347 scelere ante alios immanior omnes, XII 391 Phoebo ante alios dilectus Japys.

Contra aut de loco dicitur aut de rebus, quae aliis sunt contrariae, sive de impetu hostili: Lucretius V 708 eum contra, IV 156 contra speculum ponas, ib. 484 dicere eos contra, Aen. I 13 Italiam contra Tiberinaque longe litora, XII 279 quos agmina contra procurrunt Laurentum.

Per usurpatur de loco et de rebus in loco versantibus: Lucretius I 17 sq. per maria ac montis, Ennius in primo Anna-

lium: latos per populos terrasque poemata nostra clara cluebunt, Lucretius IV 907 quibus modis somnus per membra quietem inriget, Aen. I 691 placidam per membra quietem inrigat, ib. 59 verrantque per auras, ib. 118 sq. apparent per undas, XII 235 vivusque per ora feretur, ubi imitatus est Ennium Epigr. I 4 volito vivus per ora virum; tum de tempore Lucretius I 1029 multos magnos servata per annos, VI 1160 noctem per saepe diemque, Aen. I 31 sq. multosque per annos errabant, I 715 multos servata per annos; denique de causa: Lucretius I 4 per te quoniam genus omne animantum concipitur, Aen. IV 314 XII 56 per has lacrimas.

Propter significat et locum et causam: Catullus epyll. 281 propter fluminis undas, Lucretius I 316 portas propter, IV 223 mare propter, I 90 propter egestatem linguae, Aen. IX 680 Athesim propter amoenum, IV 320 te propter Libycae gentes odere.

In praepositio, a qua pendet ablativus, conjungitur primum cum nominibus loci et iis, quae per metaphoram pro loco accipiuntur: Naevius B. Pun. in campo hostium, in templo aspexit, Ennius Ann. 425 indu mari magno, Lucretius I 63 in terris, Aen. I 140 illa se jactet in aula, VII 601 Hesperio in Latio; tum cum adjectivis: Lucretius III 604 in aperto, V 451 coibant in medio, Ennius in occulto, in mundo, Aen. VII 226 in medio cfr. VIII 675, IX 343; denique describendae actioni aut conditioni inservit, in qua aliquid est: Ennius in bello, in rebus secundis, Lucretius I 43 talibus in rebus, Aen. IV 434 in armis, VI 757 juvere in volnere cantus, IV 358 manifesto in lumine vidi; et usurpatur conjuncta cum verbis ponendi: Naevius in mensa ponuntur, Ennius locant in clupeo, Cicero Arat XXXII 44 in alta sede locasse, Lucretius I 879 primaque in fronte locata, Aen. XII 145 caelique libens in parte locarim

Eadem autem praepositio cum accusativo conjuncta et motum significat et impetum hostilem: Lucretius I 22 dias in luminis oras exoritur, VI 399 neque parcit in hostes, Aen. I 34

in altum vela dabant, XI 745 tollitur in caelum clamor, X 204 quingentos in se Mezentius armat.

Sub cum ablativo ponitur de loco: Ennius Ann. 79 sub caeruleo, ib. 16 sub marte Pelasgo, Catullus epyll. sole sub ardenti, Lucretius I 288 volvitque sub undis saxa, V 714 viam sub sole tenere, Aen. I 430 sub sole IV 332 sub corde premebat, XII 410 duro sub Marte cadentum; nec non de propinquitate temporis: Lucretius VI 413 ut fierent ictus uno sub tempore plures, Vergilius VII 16 sera sub nocte rudentum; cum accusativo motum exprimit: Lucretius I 447 sub sensus cadat, Aen. IV 231 totum sub leges mitteret orbem.

Iam vero consideratis, quae attulimus, exemplis, Vergilium etiam in praepositionibus usurpandis consentire cum antiquioribus vel in iis locis, ubi a vulgari usu recesserit, praecipue autem cum Lucretio non possumus non concedere.

Sed pronomina cum pauca tantum praebeant digna quae notentur, tamen non praetermittendum videtur pronomen relativum per synchysin a proprio loco semotum. Etenim saepe apud poetas antiquiores pronomen relativum non ab initio ponitur enuntiati, sed ita ut praecedant verba aliquot: Ennius Alex. 37 multi adventant, paupertas quorum obscurat nomina cf. Ann. 3. 18, 23, 38, 165, Catullus epyll. 7, 30. 48, 56, Cicero Od. fr. I 8, Arat. XXXII 6, 43, 48, 167, 185, Lucretius I 3, 84, 145, 149, 336, 421, 638, 717, quos secutus est Vergilius Aen. I 1 Arma virumque cano, Trojae qui primus ab oris-venit, cf. ib. 20, 24, 109 et plurimis exemplis in omnibus operis partibus. Eodem pertinet quod interdum substantivum describendum in enuntiatum relativum attrahitur, quo facto pronomini accomodatur: Catullus epyll. 208 sq. oblito dimisit pectore cuncta, quae mandata prius constanti mente tenebat, Lucretius I 1060 quae nunc rerum simulacra videmus, identidem Maro Aen. I 72 quarum quae forma pulcherrima Deiopeia, conubio jungam stabili, ib. 574 urbem quam statuo, vestra est, XI 687 sq. adveniet qui vestra dies muliebribus armis verba redarguerit.

Pronomen alter vero insolito more usurpavit Vergilius secundum Plauti exemplum, qui habet Amph. I 11 qui me alter est audacior, qua re illustratur Aen. I 544 sq. quo justior alter nec pietate fuit nec bello major et armis.

Verum enim vero in ea syntaxis parte, quae attinet ad verbi tempora modosque, Vergilium non ita multum recessise a prosae orationis modulis, jam supra diximus; neque hoc factum esse mirabimur, cum ne antiquissimi quidem poetae hac in re magnam sibi licentiam sumpsissent. Majorem tamen, quam cetera, libertatem retinuit infinitivus, quod quare factum sit facile intelligitur. Nam cum hujus formae ipsum nomen demonstret, minus artis eam finibus contineri, fieri non potuit, quin poetae Romani ex Graecorum libris quasdam libertates ei vindicarent, quas ad augendam carminis elegantiam sive majestatem aptas esse viderent. Qua in re Vergilius quatenus secutus sit priorum poetarum exempla, breviter jam exponemus.

Ac primum quidem infinitivus usurpatur ad exprimendum consilium sive necessitatem: Plautus Pers. V 2, 40 bibere da, Terentius Andr. III 2, 4 jussi ei dari bibere, Plautus Asin. V 2, 60 ecquis currit-arcessere, Terentius Enn. III 3, 22 misit-orare, Ennius in Annalibus: Sextus erat Romae regnare quadratae, Lucilius IX 23 labora discere VI 21 dat bibere ab summo, XI 3, 2 solvere nulli lentus, Lucretius V 227 cui tantum in vita restet transire malorum, itaque Vergilius I 527 non nos aut Libycos populare penates venimus aut raptas ad litora vertere praedas, V 262 donat habere viro, IX 362 dat habere nepoti, XII 344 sq. ornaverat vel conferre manus vel equo praevertere ventos. Deinde infinitivus haut raro ponitur pro accusativo cum infinitivo: Ennius in VIII Ann. dum censent terrere minis, Cicero d. Cons. II 52 templa urbemque jubebant eripere et vereri, Lucretius IV 457 cernere censemus, ib. 470 nil scire fatetur; similiter igitur Vergilius Aen. II 637 Abnegat excisa vitam producere Troja, III 201 ipse diem noctemque negat discernere, IV 305 sq. dissimulare-sperasti posse-tacitusque decedere, XII 49

letumque sinas pro laude pacisci. Denique interdum invenitur infinitivus pro objecto remotiore quod dicunt positus: Ennius Ann. 425 fluctus extollere certant, ib. 154 postquam defessi sunt stare et spargere sese, ib. 258 pugnare paratust, Lucilius XXX 7 invitum subiges proscindere, Cicero Arat. XXXII 210 properans subjungere, Progn. III 4 certant reddere, ib. IV 2 paratis fundere voces, Lucretius VI 564 ire paratae, V 1145 defessum vi colere aevum; quos imitatus scripsit Vergilius Aen. I 678 ire parat, XI 408 absiste moveri, I 745 cur properent se tinguere soles, II 627 instant eruere agricolae, multa similia. Addo infinitivum in indignatione adhibitum; Lucilius inc. l. 21 nos esse arquatos? Lucretius II 16 nonne videre? Vergilius I I 37 mene incepto desistere victam nec posse Italia Teucrorum avertere regem, ib. 97 sq. mene Iliacis occumbere campis non potuisse neque-effundere. Alinea Porro non in dignum est, quod notetur, poetas Romanos summa industria studuisse, ut adverbiorum vices adjectivis traderent aut substantivis; hac enim re eximie carminum concinnitati se consulturos esse intelligebant, quare scripsit Ennius Epigr. I 4 volito vivos per ora virum, Ann. 47 laevom dedit inclytus signum, Cicero Arat. XXIX 2 aufugiens adspectum maesta parentis, Lucretius III 1041 caput obvius optulit ipse, Catullus epyll. 93 tota exarsit, ib. 109 prona cadit, ib. 393 laeti acciperent, quod comprobavit Vergilius exemplis plurimis: Aen. I 35 vela dabant laeti, ib. 290 accipies secura, ib. 637 splendida instruitur, multa similia.

Ergo etiam in syntaxi exemplis supra allatis demonstratum est veterum poetarum placita ita comprobata esse a Vergilio, ut ea aut non desereret aut summa cum diligentia imitaretur; quod valet praecipue de liberiore usu casuum praepositionum infinitivi.

Iam vero in re metrica Vergilius quam multa judicandus sit desumpsisse ex priorum poetarum inventis, haut obscure expressit Lucianus Muellerus (dere metrica poetarum Latinorum p. 91): „et Vergilii quidem in rebus metricis, novitatem et gravitatem si spectes inventorum, perexigua sunt merita, nam adhibendo potius paratam artem, quam addendo novam etiam hic ut in aliis rebus diligentiae ac doctrinae, at non perinde ingenii floret laude". Quod quo melius perspiciatur, tenendum est, Ennii Lucilii ceterorum hexametros falso abundare dici licentiis, cum novelli poetae Sullano tempore qui floruerunt, sancta a veteribus normae severitate leporem et elegantiam addiderint, Catulli vero et aequalium hexametri paene eundem prae se ferant nitorem, quem in Vergilianis atque Ovidianis carminibus admiramur. Mantuanus igitur poeta omnibus cum legibus tum licentiis ita usus est, ut ne ea quidem, quae dura esse viderentur aspernaretur, dummodo augendae carminis majestati inservirent.

Atque optima, ut Muelleri verbis utamur, versus heroici habita est species, si ita mixti sint dactyli et spondei, ut par utrisque numerus cedat; spondei praevalentes rei durae et gravi exprimendae inserviunt, dactyli praefracti sunt nimis ac molles; haut raro tamen occurrunt quattuor aut dactyli aut spondei.

Quod autem idem vir doctissimus statuit, in hexametro, qui habeat incisionem semiquinariam virilem pedes primum secundum quintum debere esse dactylos, ceteros spondeos, inversa tamen saepius secundi et quarti pedum ratione, semiseptenaria obtinente primum quintum tertium pedes dactylos referre, reliquos spondeos, notandum est, hanc normam neque ab antiquioribus poetis neque a Vergilio severe esse servatam, etenim Ennius in libro primo, ubi narrat somnium Rheae Sylviae versibus continuis septem et decem, habet versus ad hanc normam compositos tres, Lucilius in septem primis versibus libri primi unum, Lucretius in novem primis operis duos, Maro ipse in undecim primis Aeneidos versibus quattuor.

Neque indignum est relatu, ex versibus modo laudatis inveniri tribus dactylis instructos apud Ennium sex, Lucilium duo, Lucretium tres, Catullum quinque, Vergilium sex, reliquos aut quattuor aut duos referre dactylos, exceptis duobus Catulli, qui unum tantum, et duobus Ennii qui quinque.

Quae cum ita sint, facile intelligitur, quam recte vulgo putentur abundare antiquiorum hexametri spondeis, si aureae, quae dicitur, aetatis cum carminibus conferantur; ipse Vergilius, quantopere spondeorum tarditatem vitandam esse censuerit, vel ex eo colligi potest, quod in libro primo duodequadraginta extant versus quinque spondeis ornati, in libro septimo metrum plane spondaicum, versus quattuor spondeis praediti ubique inveniuntur plurimi. Quare quin praetulerit noster artem veterem atque Romani ingenii accomodatam gravitati novellorum poetarum facetiis, nullus dubito, cum eundem Ennii et Lucilii, quam Catulli Cinnaeque de admittendo spondeo quinto judicium sequi maluisse videam. Hunc enim, quo parce usi erant veteres, satis notum est quam cupide arripuerint recentiores. Catullus igitur cum in epyllio et versibus circiter quadringentis duodetricies dactyli quinti normam deseruisset, Lucretius in totidem versibus bis tantum, numquam in libro sexto, Lucilius semel in libris quattuor primis, Vergilius in libro decimo et sexti parte priore numquam omnino, semel in libro primo, in libro tertio quater hanc licentiam usurpavit.

Caesurarum optima fuit ac frequentissima semiquinaria virilis cui succedit semiseptinaria conjuncta plerumque cum thrithemimeri aut penthemimeri; tertia trochaica, frequentissima illa quidem apud Graecos recentiores, perraro adhibetur nec fere nisi sequente semiseptenaria.

Ac semiseptinariam quidem pro argumenti diversitate usurparunt poetae diversa ratione, nam apud Ennium in toto libro primo semiquinariae inveniuntur pro una hephthemimeri decem, at in oratione Rheae Sylviae tres tantum, apud Lucilium octo, Lucretium sex, Catullum in epyllio novem, Vergilium in geor-

gicis quattuor, tres in Aeneide. Post quartum autem dactylum incidere omnes parili modo veriti sunt, et habet noster versus tales in primo Aeneidos libro undecim, tredecim in nono, qua in re convenit ei cum Lucretio, nec non cum Ennio, qui in libro sexto et septimo quinquies, atque Lucilio, qui in versibus plus quam trecentis septies hanc incisionem adhibuit.

Semiseptenariae autem caesurae cum sex genera agnoscantur, primum, si post tertiam arsin etiam finitum sit verbum, (cujusmodi est: oscula libavit natae dehinc talia fatur), secundum, si post secundam arsin et trochaeum tertium (infandum regina jubes renovare dolorem), tertium si post secundam arsin incidatur neglecta caesura tertia trochaica (despiciens mare velivolum terrasque jacentes); quartum si addita tertia trochaica idem verbum pedem secundum et trochaeum tertium expleat, (moenia sublimemque feres ad sidera caeli), quintum, si et post tertium et post secundum trochaeum finiatur verbum (una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis), sextum, si nulla semiseptenariae addatur caesura alia (Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur), memoria non indignum est, omnia haec genera ut apud Ennium Lucilium Lucretium ita apud Maronem reperiri admissa, quamquam primum et secundum tantum perfectae elegantiae poetis placuisse auctor sit Muellerus.

Sed Vergilius Lucretium secutus tertium quoque genus in Aeneide saepius usurpavit, atque in libro primo quidem vicies semel, cum hac incisionis specie satis caute usus esset cum Ennio Lucilius.

Quartae autem speciei exempla haut ita multa occurrunt; apud nostrum sex in primis duobus libris extant, neque frequentiora sunt in Ennii Lucilii Lucretii carminibus; quibus rariora etiam sunt quintae formae exempla Aen. I, 85, II, 28. 452, 589. Enn. Ann. 39. 63 et paucis aliis locis; qua in re convenit ei cum Lucretio Lucilio Catullo sexta tamen species duodecim exemplis prostat in primis duobus Aeneidos bibris, multo infrequentius etiam admissa ab Ennio Lucretio Lucilio Catullo.

Iam vero incisionem tertiam trochaicam cum non ita raro adhibuisset Lucretius, Vergilius Ennii Lucilii Catulli judicium secutus bis tantum usurpavit in libro primo, nec saepius in libro secundo.

His caesurarum exemplis explicatis pauca nobis addenda sunt de versibus Aeneidos XI 758 et XII 144: Portat ovans ducis exemplum eventumque secuti; Magnanimi Iovis ingratum ascendere cubile. Quae metra, cum Maroni versus caesura carentes non probatos esse satis constaret, ita explicavit Lachmannus, ut novum incisionis genus quod esset inter syllabas colliquescentes, proponeret. Sed facere non possum, quin assentiar Muellero, qui haec per tmesin esse explicanda affirmat. Ac primum quidem omnia, quae Lachmannus ad firmandam opinionem suam protulit, exempla — sunt autem haec: Lucilii fr. apud Gellium IV. 17. Scipiadae magno improbus objiciebat Asellus; idem apud Nonium p. 84, 15. Hiberna intuba, momento omnicolore colustra; idem apud Nonium p. 321. 28 In vino esse ubi qui invitavit dapsilius se; Lucretius III, 258 Nunc ea quo pacto inter sese mixta quibusque; 612. Dissolui quod si immortalis nostra foret mens; 715 Haut erit ut merito immortalis nostra foret mens V, 165 Desiperest: quid enim immortalibus atque beatis VI 197. Conplerunt. magno indignantur murmure clausi; praeterea duo versus Vergiliani supra laudati, Horatii tres, unus Propertii, Silii quinque, duo Statii, totidem Iuvenalis, quibus addit duos Horatii, singulos Persii Silii Manilii — praeter secundum ex Lucilio petitum optime declarantur per tmesin, quae ut Germanis usitatissima ita ne a Graecis quidem Latinisque aliena est; quare praepositiones quae sunt in et ex, a vocibus compositis separari posse ad caesurum legitimam efficiendam non negabit, qui meninerit, non solum has verum etiam particulas, quae sunt se et dis, quae per se stare nequeant, a Lucretio per tmesin esse sejunctas; cum Maro bis in Aeneide particulam, quae est in, per que incliticam a verbo separaverit. Tum vero, quod magis etiam

rejiciendam esse Lachmanni opinionem demonstrat, unus tantum Lucilii versus extat, ubi caesurae inter colliquescentes syllabas locus sit, cum ipse Lachmannus duos Horatii versus attulerit, quibus deest caesura legitima, nisi tmesin agnoscas. Quare cum alius etiam Lucilii versus extet caesura carens, alterum quoque incisionem legitimam desiderare statuemus, reliquos autem, quos supra laudavi, poetas tmesi particularum, quae per se stare possunt, ad efficiendam caesuram usos esse, Vergiliumque non hic minus quam in constituenda omnium caesurarum norma Lucretii atque Lucilii exempla esse secutum.

Iam vero cum nullum in accentu verborum, omne in initio eorum aut exitu sive congruo pedibus carminis sive dissimili momentum sit positum, factum est, ut poetae diligenter caverent, ne constaret primus aut quartus pes voce dactylica aut multo minus spondaica. Quam elegantiae legem ut nonnumquam desererent poetae, argumenti carmine illustrandi natura atque indole effectum est. Itaque in sex primis Annalium libris Ennius in primam sedem admisit vocem spondaicam vicies quinquies, in quartam sexies, dactylicam in primam sedem decies quater, octies in quartam; in totidem fere versibus primum dactylum adhibuit Lucilius duodevicies Lucretius undevicies, Catullus decies quinquies, vicies quater Maro; quartum Lucilius quater, quater Lucretius, Catullus quater, bis Vergilius; at spondeum primum vicies semel Lucilius, Lucretius decies quinquies, sexies Catullus, Maro bis; quartum Lucilius sexies, quinquies Lucretius, Catullus ter, sexies Vergilius. Videmus igitur, convenire nostro cum antiquioribus de dactylo primo atque quarto spondeo, primi spondei quartique dactyli licentiam cum idem parce usurpaverit.

Semiseptinaria autem caesura obtinente cum minus probassent Latini dactylicam vocem prima in sede collocatam itemque spondeum primum, adonium initialem, dactylum trochaeum que secundos neque multo magis adonio similem choriambum primum, Vergilius quid senserit, ex iis quae supra de semiseptina-

riae formis ab ipso usurpatis disputavimus facile intelligetur. Idem in migranda exeuntis versus regula haud pauca antiquiorum exempla repetivit. Ac primum quidem in monosyllabis in fine collocandis cum Homerum imitatus est tum Ennium Lucilium Lucretium, etenim ex monosyllabis, quae hoc modo usurpata inveniuntur apud Maronem, exhibentur apud Ennium verbi substantivi formae, quae sunt est et sunt, praeterea rex, nox, res, rem, vis, vi, dis, me, se, stat, apud Furium vir; apud Lucilium nox, rem, res, quem, me, te se, est, sunt; apud Lucretium res, rem, mens, sus, vis, vi, nos, se, quid, quem, qua, quam, nunc, tum, jam, est, sunt; et cum copulavissent antiquiores has voces aut cum choriambo, quale est apud Ennium aetherius sol, apud Lucretium Arcadius sus, aut cum anapaesto ut geritur res apud Ennium, sive cum iambo aut monosyllabo, qualia sunt putare et apud Lucilium, opus dens in epyllio Catulli, pars est in quarto Lucretii, non haec tantum expressit Vergilius, verum etiam cum spondeo composuit binis exemplis monosyllabum, quod est dis, qua in re praeierat Ennius in sexto Dono ducite doque volentibus cum magnis dis.

Versuum spondeum quintum qui referunt, satis notum est optimam formam esse eam quae claudatur dispondeo, neque tamen multo deteriores, qui habeant vocem molossicam praecedente choriambica non minore. Quam legem cum neglexissent priores exemplis hisce: Ennius in septimo Annalium: Hunc inter pugnas Servilius sic compellat; idem in sexto Dono ducite doque volentibus cum magnis dis; Lucilius libri incerti versu 187 priverno Ufentina venit fluvioque Ufente; idem incertae sedis versu 61 Et mare Carpathium transvectus Rhodi caenabis, ubi libri exhibent caenabis Rhodi; Lucretius Matris et ingrati genitoribus inventi sint, Catullus 64. 44 Regia fulgenti splendent auro atque argento, Maro admisit haec: III, 12 Cum sociis gnatoque penatibus et magnis dis VII 634. Aut levesocreas lento ducunt argento, VII 402. Quod fieri ferro liquidove potest electro, 679. Cum patribus populoque penati-

bus et magnis dis IX, 9 Sceptra Palatini sedemque petit Euandri; idem versus tribus spondeis clausos, quos receperat Ennius, qui dixit Musas quas Graji memorant nos Casmenarum, nec non Lucilius III, 11 Quattuor hinc Silari ad flumen portumque Alburnum, cum Catullo 64, 3 Phasidos ad fluctus et fines Aeeteos, non sine summa arte imitatus III 74, VII 934, Nereidum matri et Neptuno Aegaeo, Aut leves ocreas lento ducunt argento.

Sed adonium in fine metri positum paucis extra nomina propria exemplis adhibuit; V 589 ancipitemque XI, 614. quadrupedantum in metri exitum admisit antiquiores secutus, quorum exempla minus probavere Augusti aequales, talia qualia sunt suaviloquens fluentisonus cum abhorrere viderentur ab heroici carminis majestate.

Vocalium autem sive in media voce sive in duabus sequentibus concurrentium insuavitas quantopere displicuerit Romanis diserte testatur Tullius, qui addit, etiam in communi sermone ab hominibus vocales pronunciando copulari. Atque poetae quidem hiatum in media voce existentem curarunt aut plane eximenda vocali priore, quod fieri solet in illis quae sunt ante hac, anteit, anteactus, aut contractione facta; quare constanti usu dixerunt deesse deerrasse duabus et tribus syllabis, quod comprobavit noster duobus locis VII, 262 Divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit X 378 Deest jam terra fugae; idem Ennium Lucilium Lucretium Catullum secutus bis mi usurpavit pro mihi VI, 104. O virgo nova mi facies inopinave surgit, et paulo post v. 123, Quid memorem Alciden? et mi genus ab Iove summo, cum in bucolicis georgicisque non inveniatur haec forma.

Contractioni ab antiquis grammaticis etiam ea vocabula adnumerantur, in quibus i vel u in consonam durantur, cujusmodi cum admisissent priores poetae talia qualia sunt apud Ennium Nerienem, insidiantes, avium, apud Lucilium Dicaearchium maluisti omnia, apud Lucretium tenuis cum flexionibus, apud Catullum Camerium, in Aeneide ad hanc normam usurpata inve-

niuntur vocabula haecce: abiete, abietibus, ariete, arietat, pariete, parietibus, genua, precantia omnia; neque genitivos declinationis quartae, qui sunt currum VI 653 et manum VII 490, grata magnorum exemplorum imitatione ortos esse negabit, qui apud Lucilium XV 2, 1, passum legi meminerit. Iam vero quod in verbis compositis semi sequente vocali i litteram elisit Maro (VIII 297 semessa III 244 semessam sive malis scribere semiessam IV 686 semianimemque X 396 semianimesque XI 635 semianimes X 404 semianimis XII 356 semianimi VIII 194 semihominis III 578 semiustum V 697. semiusta) procul dubio etiam hic veteres secutus esse putandus est, cum habeat Ennius Semianimique micant oculi lucemque requirunt, Lucretius VI 1268 semianimum, Catullus 61, 220 semihiante labello. Eodem modo judicabimus de contractis qualia sunt deinde, proinde, dehinc, cui, eodem (XII 847), huic, similibus.

Iam formas graecanicas veluti Terei cum primus contraxisset Pacuvius, hanc licentiam cupide arreptam excoluere neoterici, quare scripsit Tullius Cephei, Catullus Pelei Peleo Erechthei Thesei Idomeneos sive mavis Idomeneus, formam ex Iliade petitam; Vergilius cum aequalibus hac libertate etiam in vocibus latinis usus, quae explerent creticum, aerei, aureo, aurea, aureis, ferrei, Eurystheo, Menestheo, Orphea, Thypoea, Typhoeo, Idomenei, Ilionei, Mnesthei, Nerei, Olei, Protei. Neque vero in vitando hiatu, qui exsistit in fine vocabuli sequente vocali, ita aequalium judicio sibi obtemperandum esse censuit Maro, ut non per multa antiquiorum inventa imitaretur. Atque quomodo usus sit elisione ad describenda res graves et crudas, infra breviter indicabimus, nunc quibus in rebus perfectae elegantiae normam deseruerit, paucis illustrabimus.

Primum igitur cum iambica vocabula veriti essent elidere Lucretius, Cato, Tibullus, noster maluit sequi Lucilium Ciceronem Catullum, qui admisere elisionem iamborum in monosyllabis gravibus sive hyperdisullabis post primam syllabam acutis factam. Ita bis habet Lucilius et, bis atque: bono et, tua et,

sua atque eodem, cito atque anquina; Tullius in Arateis 152 retro ad 263. leo et, de Consulatu II, 67 modo ac virtute, in Homericis viri et; itaque usus est Catullus et, ad, ex, qui habet praeterea tuo imbuisse, e foro otiosum, sua occupati, novi umbilici, die otiosi; Vergilius in Aeneide praeter et monosyllabum, quod occurrit haud raro, quater in libro primo solo, ita usurpavit bis atque X 31. tua atque XI, 401 metu atque, bis aut X, 66 sequi aut IX 408 tholo aut, semel in I, 303 deo: in primis, semel ad XII, 739. dei ad, neque saepius hunc XII 532 solo; hunc, praeterea hyperdisyllaba III, 240 Aere cavo invadunt VI, 336 aqua involvens XI, 383 tona eloquio. Idem spondiazontes sequente brevi imminuere non dubitavit, qua in re convenit ei cum prioribus poetis, dissentientibus plerumque aequalibus Augusti et si quis postea artis elegantia excelluit, quod valet etiam de spondaicis vocabulis cum longa acuta copulatis.

Tum vero quod pyrrhichiaca dactylica trochaica a Catullo Tibullo Ovidio aliis non indifferenter, sed certis tantum conditionibus copulata sunt cum brevibus, multo majorem libertatem sibi sumpsit vates Mantuanus, longe melior ille quidem poeta, quam versificator, si credemus Muellero.

Aliae elisionis leges a variis metrorum partibus ortae sunt, quae quo magis puros referre debent numeros, eo minus patent synizesi. Quare cum prima sede hexametri non multis exemplis synchysin admisissent Ennius Lucilius Lucretius Catullus, Vergilius hac libertate non usus est propter insuavitatem extra versus hypermetros, qualem primus recepit. Lucilius noto illo magna ossa lacertique Apparent hominis; secutus est cum Lucretio, qui semel habet hypermetrum, binis exemplis Catullus; at noster hac licentia cupide arrepta, non solum Lucretium imitatus semel in georgicis neque saepius in Aeneide per mediam syllabam, neglecto solemni que vocabulo versum conclusit, verum eodem auctore bis in opere majore versus sensus interstitio separatos non sine arte conjunxit IV, 629

X 895 pugnent ipsique nepotesque, Haec ait; Clamore incendunt caelum Troesque Latinique. Advolat Aeneas. — Neque etiam quod bis in ultima hexametri syllaba elisit libro IX 57. huc turbidus atque huc, ibidemque 440 hinc comminus atque hinc, Lucilii exempla, quae extant XIV, 6. lib. inc. fr. 6 G. ipsi non displicuisse, affirmare dubitabimus.

Veruntamen cum ea lex sit hexametri, ut caesura semiquinaria obtinente quodvis genus elisionum et prima thesi et secunda arsi et toto pede quarto possit admitti, poetae, quo quisque fuit diligentior, eo magis ne extra primum choriambum aut pedem quartum longarum aut mediarum elisio adhiberetur cavendum esse putarunt. Praeterea facilius in secunda thesi quam in tertia et in arsi tertia quam in sexta synizesi locus est, neque a quinti pedis syllaba prima tertiaque propter dactyli quinti normam elisio plane potuit arceri; hephthemimeres autem si obtinet cum thrithemimeri, eadem valent de primi quartique pedum thesi, quae supra de secunda et tertia thesi sunt exposita.

Verum enim vero Maronem antiquiorum magis exempla in admittenda synizesi quam recentiorum elegantiam perpolitam imitatum esse iam supra demonstravimus. Quare non est quod miremur, quod cum in tertia arsi tum in secunda et tertia thesibus non raro aut longas elisit aut multo saepius etiam medias, quo majorem etiam pro versuum numero licentiam sibi sumpsisse non modo Ennium et Lucilium verum etiam Lucretium facile intelligimus. Eosdem profecto illi admittendae in quinti pedis syllabas primam tertiamque et sextam arsin longarum mediarumque elisionis fuisse auctores non poterit negari, praesertim cum et ipsi duriora, quae habita sunt, non ita multis praeter Lucilium exemplis comprobaverint. Quare cavendum est, ne priorum poetarum carmina a Vergilianae artis elegantia ita longe abesse putemus.

Iam vero priusquam ad alia transeamus, juvat addere pauca de hiatu, qui efficitur, ubi additur voci in diphthongum sive

longam vocalem excurrenti, sequente alia vocali sive dipthongo, verbum quod incipiat a vocali. Etenim recte, ut mihi quidem videtur, Lachmannus vitiosam esse synizesin inter talia verba factam affirmavit, quod non poterit non concedere, qui quam raro hac elisione usi sunt Latini, diligenter perpenderit.

Ac primum quidem vocabula in duas longas exeuntia praeter pauca scaenicorum exempla non inveniuntur elisa, neque multo saepius vocabula, qualia sunt Medea Minoa, quae dactylicorum primus collisit Vergilius II, 193 Pelopea ad moenia, et in eodem 312 Sigea igni freta lata relucent; praeiererant tamen singulis exemplis Ennius Medea animo aegra, Accius Medea es, incertus tragicus apud Senecam Menelae hac, Lucilius stoechia adfuerit. Et idem fere valet de vocibus, quae habent diphthongum cum longa vocali aut diphthongo. Talia enim cum non collisissent Lucretius Horatius Tibullus Propertius alii, novies noster ab elegantiae lege recessit neque unquam extra Aeneida, in qua inveniuntur haecce Lethaei ad, Idaeo Alcanore, Coeo Enceladoque, Troja antiqua, Troja ex ardente, Trojae et bis, Trojae excidium, Harpyiae et, et notandum est etiam hic habuisse eum, quos sequeretur Lucilium (cuia opera) Catullumque (Troja obscena, Troja infelice). Denique vocabula diphthongo clausa sequente brevi contraxere Lucilius aulaea obducite, Catullus Hymenaee io et Hymenaee Hymen nec non Vergilius Troja quater.

Neque magis placuit Romanis post Plauti aetatem qui fuere, productarum vocalium Graecarum synizesis, qua usi sunt ante Maronem cujus sunt in septimo Aeneidos Circe in, Allecto infecta, Allecto in Teucros, soli dactylicorum Lucilius amphitapoe et, atque Tullius in Arateis Andromeda et, Andromeda aufugiens; quare hic quoque convenire ei cum prioribus videmus poetis.

Neque vero a solito more suo recessit Vergilius in moderandis hiatus rationibus, qua in re totus pendet ab Ennio ejusque asseclis, nisi quod abstinuita dactylicis pyrrhichiacisque vocabulis, quae in m excurrunt, in hiatu collocandis.

Itaque cum improbaretur Romanis iambicarum creticarumque vocum imminutio, fieri non potuit, quin hae in primis hiatui paterent; et duplici modo haec verba hiare possunt, aut ita, ut correpta finali longa ponantur in thesi, aut ut retineant quantitatem principalem in arsi collocatae. Prioris generis exempla non adhibentur nisi sequente longa, monosyllaba tamen cum brevibus conjungi placuit. Ennius primus talia admisit, qui scripsit Scipio invicte (nam de Naevio nihil ausim affirmare), quem secutus est cum Lucilio Lucretio Tullio Catullo Vergilius Maro, cujus decantata sunt illa Aeneidos III, 211 Insulae Ionio in magno, V, 261 Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto, VI, 507 Nomen et arma locum servant; te amice nequivi, X 179. Hos parere jubent Alpheae origine Pisae.

Alterum genus dihaeresis multo etiam frequentius est, quod adhibetur cum ab Ennio tum a nostro aut in caesura legitima, aut sequente nomine proprio vel graeco aut multiplicatis brevibus syllabis aut interstitio sensus: Aeneidos III 74 Nereidum matri et Neptuno Aegaeo, X 156 Externo commissa duci Aeneia puppis, XI 31 Servabat senior, qui Parrhasio Euandro, III 606 Si pereo hominum manibus periisse juvabit, IX 477 Evolat infelix et femineo ulatatu, IX 291 Hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo, I 16 Posthabita coluisse Samo, hic illius arma, et multa similia excusatus eisdem normis.

Positionem in verbo latino semel neglexit Aeneidos XI 308/9. Spem si quam adscitis Aetolum habuistis in armis Ponite spes sibi quisque, quod quater admisit Lucilius, Lucretius novies; nec saepius in graeco III 270 nemorosa Zacynthos, cum habeat Lucretius II 805 miscere zmaragdos, IV 1128 viridi cum luce zmaragdi, Catullus 64,357 unda Scamandri. Huic licentiae opposi a invenitur paucis exemplis Ennii Catonis Catulli Tibulli admissa libertas vocalem brevem finalem extendendi, si incipiatur verbum subsequens duabus consonis. Talia autem non admisit Vergilius, nisi particullam, quae est que, nonunquam secundum Homeri usum productam huc referre velis.

Syllabas finales breves haut paucis exemplis intendere cum Ennius tum noster; atque Ennius quidem syllabas primae secundae quartae conjugationis quae sunt at et it propter principalem quantitatem produxit, neque tamen quisquam posterorum imitatus est, proxime accessit ad Rudini poetae exemplum Aeneis, in qua sub iisdem condicionibus, quibus dihaeresis, sed paullo saepius adhibetur producta finalis, et Lucilius, qui XVII 12, XXIX 5 G. excusatur caesura legitima, IX 26, 6 XXX 96 interstitio sensus XXX 65 multiplicatis brevibus syllabis. At Catullus productionem non usurpavit nisi ter sequente vocabulo Hymenaei 62,4; 64, 20 66,11; Lucretius nunquam omnino. Vergilii autem Enniique exempla plane consentiunt, quibus probari productionem jam supra exposuimus aut in caesura legitima (Sic expectabat populus atque ora tenebat, Luctus ubique pavor et plurima mortis imago, Et furiis agitatus amor et conscia virtus), aut sequente nomine pro prio vel graeco. (Nam tibi Thymbre caput Euandrius abstulit ensis, Grajus homo infectos linquens profugus hymenaeos), aut multiplicatis syllabis brevibus (Pectoribus inhians spirantia consulit exta), aut interstitio sensus facto (Pacem me examinis et Martis sorte peremptis Oratis? equidem et vivis concedere vellem, Ignorans subitoque omnis de corpore fugit, Quippe dolor, omnis stetit imo volnere sanguis). Quid? quod uterque vel finales in vocalem brevem exeuntes intendere ausus est (Et densis aquila pinnis obnixa volabat, Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto)? quod nemo post Maronem sibi permisit. Hic vero quod interdum voces, quae sunt mihi tibi sibi ubi ibi, longa ultima posuit, haud dubie antiquae quantitatis rationem retinuit, quod comprobatur veterum poetarum carminibus, qui non ita parce iambica mensura in hisce vocabulis utuntur. In o autem quae excurrant verba brevi finali inveniuntur ante Vergilium usurpata apud Lucretium VI 652 homo apud Lucilium VIII 2 G. bibo, apud Catullum scio volo dabo, apud Varronem Atacinum Cato, quibus addidit noster eadem licentia usus gero Aeneidos I 48 nuntio I 391 audeo XI 503;

idem Lucretium II 387, 1066, VI 791, imitatus bis breviavit pronominis demonstrativi formam hic Aeneidos IV 22, VI 791.

Tum vero non potuere non immutari eorum verborum quantitates, quae omnino plane erant inepta metro dactylico, quod cum usu venit in quibusdam appellativis verbisque, qualia sunt apud omnes dactylicos poetas relligio, relliquiae, relligiosus et reppuli, rettuli, tum in nominibus propriis veluti Italia Priamides Paeonius; hanc tamen licentiam intra pauca vocubula continuit Vergilius, qui non recepit, quae ad miserant Lucilius et Lucretius, relatus, reductus, receptus, relictus relatio longa prima syllaba.

Brevium syllabarum ambages cum jam antiquissimi per syncopen imminuissent, Vergilius secutus est, qui contraxit praeter illa vulgi ore usurpata, quae fuere maniplus periclum, oraclum, porgo, tegmen, saeclum, vinclum, tribus exemplis gubernaclum V 176, 859, VI 349, alia Lucilii Lucretii aliorum exempla aspernatus. Praeterea nonnumquam tmesi est usus, qua in re praeierat cum Lucilio cujus sunt deque dicata deque petigo, et Ennio (de me hortatur) Lucretius, qui etiam voculas, quae per se stare nequeunt, separavit qualia sunt seque gregari disque supatis; Maro igitur bis in Aeneide habet inque salutatam linquo IX 288 et inque ligatus X 794. Eosdem auctores secutus praepositiones praeter, circum, tenus et cunque particulam sejunxit, qualia sunt: Et multo nebulae circum dea fudit amictu I 412, Tum Pallas bijugis fugientem Rhoetea praeter Traicit X 399, Huc celebrata tenus sancto certamina patri V 603, Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta VI 62, Quo res cumque, aliis Aeneidos locis qui te cunque, quae me cumque, quo te cunque, qua se cunque. De tertio tmesis genere, quod usurpavit ad efficiendam caesuram legitimam, jam supra cum de caesurae formis diximus, exemplis allatis disputavimus.

Jam perlustratis omnibus rei metricae partibus, non possumus judicio L. Muelleri supra laudato non assentiri, Vergilium

perpauca novasse, in reliquis rebus totum fere pendere a priorum poetarum placitis. —

Neque etiam, quod plus quam quinquaginta exemplis invenitur in Aeneide que particula duplicata in quintam sextamque theses adhibita, aliter judicabimus; habet enim Ennius versus hoc modo finitos octo, novem Lucretius.

Tum vero, quam studiose Vergilius diversis hexametri generibus usus sit ad describendam et quasi pingendam rerum aut gravitatem aut celerem facilemve decursum, ita notum est, ut vix opus sit exemplis. Habebat autem quem hac in re sequeretur Ennium suum, quem talibus facetiis plus aequo etiam indulsisse satis constat.

Ennius igitur, cum proposuisset versum hunc repetitis spondeis insignem: Olli respondet rex Albai longai, secutus est Maro, cujus sunt haecce: Et leves ocreas lento ducunt argento; Illi inter sese magna vi brachia tendunt; Adparent rari nantes in gurgite vasto; Intendunt. Scandit fatalis machina muros; Olli respondet sedato corde Latinus. Contrarii autem generis exempla habes haec; Ennius: Labitur uncta carina per aequora cana celocis; sed Vergilius: Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum; At tuba terribili sonitu procul aere canoro increpuit; Ante Notum Zephyrumque volant, gemit ultima pulsu Thraca pedum; Jamque neci Sthenelumque dedit Thamirimque Pholumque.

Simili ratione explicandi sunt versus ejusdem litterae repetitione ornati, qui prostant sicut apud Ennium (Curantes magna cum cura concupientes; Brundusium polcro praecinctum praepete portu; At tuba terribili sonitu taratantara dixit) et Lucretium (vivida vis animi pervicit, muta metu; venti vis verberat; corripiunt rapideque rotanti turbine portant; tuba sub murmure mugit) ita apud nostrum, qui dedit: Illi indignantes magno cum murmure montis; Interea magno misceri murmure pontum; Stat pecus omne metu mutum mussantque juvencae; Impius ante aras atque auri caecus amore; quatit aeger anhelitus artus; Fit sonitus spumante salo; Saeva sedens super arma; longe sale

saxa sonabant; Captivi pendent currus curvaeque secures Et cristae capitum; Te Turne, nefas, te triste manebit Supplicium; Permittit patria? hospitio prohibemus arenae; e. q. s. a. Alinea Attamen quam multa Vergilius secundum veterum poetarum Romanorum consuetudinem a Graecis mutuatus sit, quid ex popularium carminibus in rebus gestis enarrandis desumpserit, quotiens receperit in Aeneidem aut totos versus aut partes versuum integras ab his petitas, locuples testis est index Ribbeckianae editioni subjectus. Atque ad Ennium quidem duodeseptuagies se applicavit, ter et quinquagies ad Lucretium, Catullum imitatus est decies quater, novies Attium, Lucilium septies, sexies Pacuvium, Furium quinquies, ter Naevium, binis exemplis Varronem Atacinum, Hostium, Varium, singulis Livium Andronicum Laberium Suevium Ciceronem Matium Maecenatem Cornificium poetam incertum a Cicerone laudatum.

Vergilii Aeneis igitur secuta esse exempla veterum poetarum Latinorum atque imprimis Ennii Lucretiique carmina videtur primum in recipiendis formis antiquioribus vocabulisque prisco more compositis, tum in usu liberiore casuum praepositionum infinitivi, deinde in rei metricae partibus paene omnibus, tum in imitandis Graecorum carminibus; porro exhibet versus multos aut variis pro diversa rerum narrandarum ratione numeris instructos aut litterae ejusdem repetitione insignes; multos denique versus ex priorum poetarum libris petitos refert aut integros aut quodammodo commutatos. —




THE LIBRARY OF CONGRESS


DOBBS BROS.
LIBRARY BINDING
MAY 69
ST. AUGUSTINE
FLA.
32084